

JORDANI SIMON
F. EREMITÆ AUGUSTINIANI



DE

RELIGIONE

CONTRA

LIBERTINOS

LIBRI TRES

IN USUM ET COMMODUM

DD. AUDITORUM

A. R. O. MDCCLXXV.

LIBRI TERTII

PARS I.

DE

RELIGIONE CHRISTIANA.

Cum Approbatione Censuræ Casareo - Regiæ.

PRAGÆ VETERIS,
CHARACTERE FRANCISCI GERZABECK.



CONSPECTUS
PARTIS PRIMÆ
LIBRI TERTII.

INTRODUCTIO.

In Librum de Religione Christiana p. 1.

CAPUT PRIMUM.

*Demonstratur, Jesum Christum ex B. Virgine natum
esse ad promissum Messiam 18.*

SECTIO PRIMA.

Adferuntur de Messia venturo Prophetiæ. p. 19.

- §. 1. Prophetiæ in Paradiso ibid. §. 2. Prophetia Abrahamo, Isaac & Jacobo facta p. 22. §. 3. Prophetia Jacobi de tempore adventus Messiae p. 24. §. 4. Prophetia Isaiæ de conceptione Messiae ex Virgine p. 29. Prophetiæ de loco & circumstantiis Nativitatis Messiae p. 30.

SECTIO SECUNDA.

*Demonstrantur Prophetiæ in Jesu Christo adimpletæ
p. 34.*

- §. 1. Adimpletum est in Christo Jesu vaticinium Sententiæ Dei in serpentem ibid. §. 2. Adimpleta est in J. C. Prophetia Patriarchis facta p. 37. §. 3. Pariter Prophetia Jacobi in Nativitate p. 39. Et Prophetia Isaiæ in conceptione Virginis p. 41. Et Prophetiæ Michææ, Isaiæ, Balaami, Jeremiæ, Davidis & aliorum in Nativitate & circumstantiis ejusdem p. 44.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Refutantur Libertinorum argumenta contra hæc Oracula Prophetica p. 49.

- §. 1. Dispellitur eorum dubium contra Prophetiarum antiquitatem ibid. §. 2. Argumentum Roussfoji contra Originale peccatum p. 54. §. 3. Alterum ejusdem contra Prophetiam Messia venturi p. 59. §. 4. Sophisma contra Incarnationem Verbi p. 63. §. 5. Contra Christum ex Virgine natum ex Hebræorum fabulâ p. 68. §. 6. J. C. non esse ex Tribu Juda oriundum p. 76.

CAPUT SECUNDUM.

Demonstratur, J. C. prædicantem & miracula patrante fuisse adpromissam Messiam p. 79.

Imago Jesu Christi a Belleto delineata p. 80. alia a Roussfojo depicta p. 83.

SECTIO PRIMA.

Prophetarum Oracula de Messia prædicante & Miracula patrante in J. C. sunt adimpleta p. 85.

- §. 1. Oracula de Præcurfore in Joanne Bapt. adimpleta ibid. §. 2. Oracula de Messia in templo comparituro in J. C. adimpleta p. 88. §. 3. Oracula de Messia prædicante in J. C. adimpleta p. 93. §. 4. Oracula de Messia miraculis in J. C. adimpleta p. 96.

SECTIO SECUNDA.

Libertinorum contra J. C. facta & miracula refelluntur objecta p. 98.

- §. 1. Libertini contra oraculum Aggæi in J. C. adimpletum objectio ibid. §. 2. Sophismata contra miracula Jesu Christi. I. Miracula impossibilia esse p. 101. II. Miracula esse figmenta aut artes p. 104. III. Esse in metaphorico sensu accipienda p. 109. IV. J. C. per Tetragrammaton aut Dæmonum ope miracula patrassè; ubi continuatio Fabulæ Hebræorum p. 117. V. J. C. Miracula in Missionis probam non patrassè p. 123. VI. Miracula J. C. esse indigna.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Demonstratur J. C. patientem & morientem adpromissum fuisse Messiam p. 127. Imago Jesu Christi patientis ex Belleto ibid. Ejusdem imago ex Roussfojo p. 130.

SECTIO PRIMA.

Adimpleta sunt in J. C. Oracula de Messia patiente & moriente p. 131.

- §. 1. Danielis Prophetia de Christo occidendo in J. C. adimpleta ibid. §. 2. Oraculum in Libro Sapientiæ de Messia occidendo in J. C. adimpletum p. 139. §. 3. Oraculum Isaïæ de Messia patiente in J. C. adimpletum p. 141. §. 4. In Passione & morte J. C. Prophetarum oracula adimpleta p. 144.

SECTIO SECUNDA.

Libertinorum contra J. C. patientem & morientem irrisiones reprimuntur p. 152.

- §. 1. Continuatio Fabulæ de J. C. morte exploditur ibid. §. 2. Ea: quæ contra humilitatem patientis & morientis J. C. oggeruntur p. 155. §. 3. Aliæ J. C. patientis irrisiones p. 158. §. 4. Variæ contra similes Prophetias argutiæ retunduntur. p. 165.

CAPUT QUARTUM.

Demonstratur, Oracula de Messia Resurrectione, Ascensione & Spiritus S. Missionem in J. C. esse adimpleta.

SECTIO PRIMA.

Adferuntur Oracula Messia Resurgentis, Ascendentis, & Spiritum S. mittentis in J. C. adimpleta p. 169.

- §. 1. Adimpleta sunt oracula in J. C. Resurrectione. ibid. §. 2. In J. C. in caelos Ascensione p. 176. §. 3. In Spiritus S. Missionem p. 181.

SECTIO SECUNDA.

Libertinorum contra J. C. Resurrectionem conglobata argumenta disjiciuntur p. 184.

- §. 1. Finis Judaicæ Fabulæ, ejusque explosio p. 186. §. 2. Resurrectionis impossibilitas rejicitur p. 191. §. 3.

Wol-

Woolstonii contra Historiam Resurrectionis audacia reprimitur. 198. *Quoad argumentum primum*: Apostolos corpus e Sepulchro abstulisse p. 199. *Quoad alterum*: Apostolos fuisse per Fanatismum deceptos p. 204. *Quoad tertium*: J. C. resurgentem non apparuisse Sacerdotibus p. 211. *Quoad quartum*: In Resurrectionis Facto reperiri contradictiones p. 215. Ascensionem, & Spiritus S. Missionem esse Apostolorum Imposituram p. 223.

CAPUT QUINTUM.

Demonstratur, Prophetarum Oracula de Ecclesia stabilenda, mundi conversione & Evangelii prædicatione in J. C. esse adimpleta.

SECTIO PRIMA.

Adferuntur Prophetarum & J. C. oracula de mundi Conversione & Ecclesie stabilitone p. 128.

§. 1. Adferuntur Prophetarum ibid. §. 2. Et Jesu Christi Oracula p. 234.

SECTIO SECUNDA.

Adimpleta sunt hæc Prophetarum & J. C. Oracula p. 239.

§. 1. In prodigiosa Evangelii J. C. prædicatione ibid. §. 2. In Gentium Conversione p. 249. §. 3. In conversorum vitæ & morum Sanctimonia p. 254. §. 4. in Propagatione Religionis Christianæ p. 262. §. 5. in mirabili SS. Martyrum sanguinis & vitæ profusione p. 267.

SECTIO TERTIA.

Incredulorum contra Evangelii prædicationem & Mundi conversionem objecta diluuntur p. 272.

§. 1. Ea, quæ contra Evangelii prædicationem, ibid. §. 2. Ea, quæ contra Gentium conversionem p. 297. §. 3. Ea, quæ ex Dodwello contra SS. Martyrum triumphos objiciuntur p. 287.

CAPUT SEXTUM.

Demonstratur, Prophetarum & J. C. Oracula de Judæorum Reprobatione esse adimpleta.

SECTIO PRIMA.

Adferuntur oracula p. 303.

§. 1. Oracula Moyfis, Jeremiæ, & Baruch. ibid. §. 2. Jeremiæ, Malachiæ, Danielis & Osee, p. 307. §. Oracula Jesu Christi p. 310. SEC.

SECTIO SECUNDA.

Demonstrantur in Reprobatione Judæorum adimpleta p. 313.

§. 1. Reprobatur Gens Judæorum ibid. §. 2. Assignatur Reprobationis tempus p. 317. §. 3. Destruitur urbs & Templum, & dispergitur Gens Judæorum p. 322. §. 4. De Judæis in fine Sæculi convertendis p. 328.

SECTIO TERTIA.

Libertinorum contra Reprobationem Judæorum effugia præcluduntur.

§. 1. Refutantur, qui Josephi testimonium volunt esse intrusum p. 334. §. 2. Refutantur, qui ex Prophetarum Oraculis nil certi inferri posse contendunt p. 332. §. 3. Marshami refellitur opinio.

CAPUT SEPTIMUM.

De Librorum N. T. Authenticitate.

SECTIO PRIMA.

Demonstratur eorum Authenticitas p. 341.

§. 1. *Primum* Authenticitatis argumentum ex Librorum descriptione p. 342. §. 2. *Secundum* ex Traditione p. 343. *Tertium* ex suppositionis umbra fugata p. 345.

SECTIO SECUNDA.

Incredulorum contra Authenticitatem objecta resolvuntur p. 347.

§. 1. Bailii Synchronismus disjicitur p. 348. §. Tollandi argumentum discutitur p. 354. §. 3. Collinii cavillula rejiçuntur p. 356. Aliud Increduli dubium expeditur p. 360.

CAPUT OCTAVUM.

De Librorum N. T. Veritate.

SECTIO PRIMA.

Libri N. T. nonnisi vera continent p. 362.

§. 1. Apostoli erant plenissime informati ibid. §. 2. Non fuerunt decepti p. 363. §. 3. Decipere noluerunt p. 365. §. 4. Etsi decipere voluissent, non potuissent p. 369. §. 5. Libri N. T. nunquam fuere corrupti p. 373.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Incredulorum solvuntur objecta.

- §. 1. Author Christianismi delevati refutatur p. 379. §. 2. Roussoji excutitur Scrupulus p. 334. §. 3. Voltairii expenditur argumentum p. 385. Alia Incredulorum objecta diluuntur p. 387. Ea, quæ contra Librorum N. T. integritatem adducuntur, resolvuntur, p. 390.

CAPUT NONUM.

De Librorum N. T. Divinitate.

SECTIO PRIMA.

- Demonstratur Librorum N. T. Divinitas p. 395.*
§. 1. Ex eorum contentis, & scribendi Methodo ibid. §. 2. Ex Præscriptione universalis persuasionis p. 398.

SECTIO SECUNDA.

Incredulorum contra Librorum Divinitatem dubia dispelluntur p. 403.

- §. 1. Enervatur argumentum Divinitatem ex Christianorum fide universali impugnans ibid. §. 2. Refutantur quæ contra Sancti Evangelii dogmata obijciuntur p. 421. §. 3. Dissolvuntur conglobata contra Librorum N. T. Divinitatem argumenta p. 423. §. 4. Incredulorum calumniæ contra Prophetica Evangelii Oracula reprimuntur p. 429.

CAPUT DECIMUM.

De postremo Christianæ religionis testimonio.

SECTIO PRIMA.

Recensentur Hebræorum pro fide christiana testimonia p. 438.

SECTIO SECUNDA.

Referuntur Paganorum de Religionis Christianæ prærogativis testimonia p. 442.

CONCLUSIO p. 460.



LIBRI TERTII

PARS PRIMA.

DE

RELIGIONE CHRISTIANA.



INTRODUCTIO.

- I. **D**eplorandam humani generis miseriam non esse naturalem ejusdem conditionem, sed tristissimum Protoparentis Adami lapsus, & in posteros suos per naturam corruptam propagati peccati originalis effectum, in libris prioribus, & præcipue in secundo ex Revelatione Divina abunde didicimus. Commonstrata etenim in Libro primo contra Libertinos & Atheos summi Numinis, rerum omnium Creatoris Existentiæ, simul & demonstravimus, hominem universorum Regem, ex omnipotentissima Creatoris manu corpore & anima dotatum produisse. Demonstravimus hanc animam & naturalibus, & supernaturalibus donis & dotibus

ornatam in hoc mundi theatrum, ut ad suum commodum & delectamentum creaturis utatur universis, processisse. Dona supernaturalia erant gratia Divina, ejusque varia auxilia, quæ animam Deo reddebant gratam & acceptam, filium atque amicum. Primum naturale donum erat intellectus divino collustratus lumine, quo suum agnosceret Deum & Creatorem, & Naturæ in quantum oportebat, & necessum erat, dignosceret vires & penetralia. Voluntas recta & libera erat alterum naturale donum, quæ divino suffulta auxilio suum diligeret principium, quod Deus est, & Legi cordi impressæ obsequeretur facillime, & cupiditates ac passiones, quæ quasi corporis organici essent rotæ, & moles, moderaretur suavissime, ne aut intellectum in operando per ideas distortas seduceret, aut voluntatem in eligendo & decidendo per desideria prava corrumperet: Talem ab initio hominem fuisse conditum, ipsæ, quæ in homine supersunt, testantur reliquæ.

II. Reliquæ, inquam, sentit enim infelix homo, si suos attentos in se vertit oculos, se non amplius esse talem, qualem se fuisse, auguratur, & qualem se esse vellet atque optaret. Verbo: cum *Pascali*, ingenio sagacissimo, se sibi indissolubile reperit ænigma. Graviter ingemiscit, cum Paulo Apostolo (a) *Infelix ego homo! quod operor, non intelligo: Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem, quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bo-*

na

(a) Ad Romanos C. VII.

na est. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, Condelector legi secundum interiorem hominem; Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, quoniam mihi malum adjacet. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem id, quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.

Ecce hominem inextricabile ænigma. Quis illud dissolvat? studuerunt Philosophi, sed suis confisi viribus, & suæ insuperbientes rationi, ignorantæ tenebris obfuscatæ, in turpissimos perlapsi sunt errores. Deus optimus hunc hominem tot miseriis malisque onustum condiderit? Absit. Non est Deus, ait Atheista; sed unde hoc universum? se solo non extitit, ergo a Creatore Deo conditum fuit? sed unde homo? Et unde homo est talis? Deus ergo hominem condidit talem, brutis non absimilem; & suprema Numinis Majestas hominem non curans, ipsum suis reliquit miseriis, & malis. Natura sua est talis. Fabula ipsius est anima spiritualis & immortalis. Fabula ejus æternitas. Fabula infernus. Fabula Paradisus. Ut brutum vivit homo, ut brutum moritur homo. Sic fabulantur Theistæ, Naturalistæ, Materialistæ, Indifferentistæ, quorum vestigia premit insana Libertinorum turba, volens, non esse Deum aut saltem nec præmia bonorum, nec supplicia malorum;

ne de vita in carnis spurcitiis, cupiditatum pravitatibus, & passionum malefana rabie peracta rationem reddere, malefactorum pœnas timere, & cum bene agere nolit, præmia Beatorum periclitari, & perdere deberet. Verum quam primum quiescit, vel ad momentum solum, cupiditatum æstus, & passionum rabies, sentit, infelix iste homo, sentit aliam legem in mente sua (neget, si possit; sed quod non possit, ex ea, quæ cordi hominum inscripta est, lege naturæ, in dicto primo operis Libro, evicimus atque convicimus) aliam in membris suis. Unde autem diversa lex ista? A Deo Authore naturæ sapientissimo, potentissimo & optimo malum esse non potest; undenam ergo? Vocat Apostolus *hanc legem*, vocat *hoc malum infelix peccatum*. Sed unde hoc peccatum? Ergone homo in illo conditus fuit? Absit; nisi velis blasphemare Creatorem, nisi inscriptam legem bonam contra intimum creaturæ rationalis sensum temerarie negare velis. - Undenam denique?

III. Venit Moyse Populi Hebraici Dux & Legislator supremus, & ea, quæ in suo, quem Genesin vocat, libro scripta consignat, ab Adamo ad se ipsum fidelissima traditione transiisse, enarrat, scil. Primum hominem justum, bonum, rectum a Creatore Deo cum omnibus, quæ visibilia, & invisibilia adsunt, fuisse conditum, ac unica, de pomo vetito in Paradiso, in quem translatus fuerat, non comedendo, lege fuisse obstrictum, sub severissima comminatione illa: (a) *In quocunque die*

(a) Genes. II, 17.

die comederis ex eo, morte morieris. Sed Evam, quam Deus Protoparenti dederat uxorem, a serpente, quam possederat Angelus de cœlo lapsus, & hominem, cui beatitudinem invidebat, secum in barathrum conjicere anhelans, per infame illud mendacium, (a) *nequaquam morte moriemini . . . sed eritis sicut Dii, deceptum comedisse de ligno & de fructu illius dedisse viro suo, qui & comederit.* Ab hoc igitur infelici Protoparentum, justissimo temporalis & æternæ mortis decreto & sententia condemnatorum, peccato, omnes, quibus nos Adami & Evæ posteris premimur, & vix non opprimimur, corporis & animæ miserias deplorandam suam traxisse, & trahere usque hodie originem,

Verum quam fatalis & tristis est hæc, quam nobis Moyse enarrat, Historia, tam sacrum, suave & beatum est alterum consolationis argumentum, quod idem Hebraicus Historiographus in sua Geneseos dicta, subjungit Historia. Enarrat quippe, Creatorem hominis tam misere lapsi, & ad tam gravia ob inobedienciæ perfidiam condemnati supplicia commiseratione tactum in ipsa reorum sententia Messiam & Redemptorem, qui lapsum erigeret, & ab æterno redimeret interitu, per consolabilia illa adpromississe verba in seductorem serpentem prolata: (b) *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & seminem tuum & semen illius, ipsa (vel ut alii legunt ipsum) conteret caput tuum.* Sunt & alia, quæ de hac consolabili Dei miserentis adpromissione idem nobis enarrat

(a) Genes. III. 4. 5. (b) Genes. III. 15.

Moyfes; fcil. Deum & Abrahamo, & Ifaaco, & Jacobo, aliisque Patriarchis hanc Mefſiæ & Redemptoris venturi adpromiſſionem repetiſſe; imo Patriarcham Jacob propheticò Spiritu afflatum, &, inſtante mortis puncto, filiis ſuis poſtremum benedicentem, præciſum Mefſiæ & Redemptoris venturi tempus deſignafſe. Quæ Adamo & Patriarchis facta adpromiſſio in Gènte Hebræica ceu divinarum Miſerationum Depositaria, fideliffima traditione ſervata, poſtmodum infinitis prope oraculis Prophetarum firmata & renovata, ac tandem in plenitudine temporum in Mefſia & Redemptore de cœlo delapſo, & ut literaliter prædictum fuerat, in crucem acto, & pro peccato in ſacrificio crucis occiſo adimpleta fuit. Hic ipſe in Paradifo, & poſt Patriarchis adpromiſſus, & infinitis, ut diximus, prope Prophetarum oraculis prædictus Mefſias & Redemptor eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui in cruce per mortem ſuam caput ſerpentis antiqui contrivit, & ab ejus tyrannide, & a ſervitute peccati per profuſum ſanguinem ſuum univerſum humanum genus liberavit atque redemit. Hic ipſe eſt Jeſus Chriſtus, Deus ac Dominus noſter, qui ſublato Legis Moſaicæ jugo ſanctiffimum & ſuaviſſimum Evangelium ſuum mundum docuit univerſum, & nos ſuos hæredes ac cohæredes Regni cœleſtis, per Adami peccatum deperditi, & ſanguine ſuo recuperati, per novum Teſtamentum ſuum adlegit & inſtituit, ac filios Dei, qui per peccatum eramus filii peccati; iræ, & vindictæ, conſtituit, qui deſtructa Synagoga atque Eccleſia veteri cum Sacerdotio Aaronitico, & ſacrificiis,

um-

umbris & figuris plenis, prorfus ſublatis, novam Eccleſiam, quam ab ipſo Chriſtianam dicimus (extra quam nulla eſſet ſalus) ſanguine ſuo ædificavit, & cum eſſet Sacerdos in æternum, jure ſanctiffimi Corporis & Sanguinis ſui mundum & incruentum Sacrificium, cruenti commemorativum, ab ortu Solis uſque ad occaſum ſemper & ubique ad finem ſæculorum offerendum inſtituit. Hæc eſt illa demum Chriſtiano-Catholica Religio & Eccleſia, innumeris miraculis & oraculis firmata ac plurimis ſignis & characteribus a ceteris diſtincta, in qua qui vivit, & ſacrum Jeſu Chriſti Evangelium verbo & opere complet, pro meritis in vita, paſſione & morte Jeſu Chriſti gratiis atque auxiliis ſuffultus vitam confequitur in terris tranquillam & ſecuram, ac in cœlis æternam beatam. En humani ænigmatis ſolutionem feliciffimam, & pro iis, qui chriſtiane vivunt & moriuntur, inenarrabilibus ſolatiis plenam!

IV. Breve dictu, ſed difficile, ſi non impoſſibile, creditu, clamat Atheiſtarum, Theiſtarum, Naturaliſtarum, Materialiſtarum, Indifferentiſtarum, & quot quot in *iſtarum* deſinunt, Libertinorum turba. Tota hæc fabula veſtra (inquiunt impii) fundatur in Moyſis Hiſtoria, & in eorum, quos Prophetas dicitis, Hebræorum libris, in codicem, quem vetus Teſtamentum compellatis, digeſtis. Sed unde eorum fides? unde eorum veritas? unde eorum certitudo & ſecuritas, quæ Philoſophum rationalem, quales nos proſitemur, vincant, atque convincant? Utinam hoc eſſet Libertinorum ra-

tionabile dubium, mox enim solutum atque difflatum abiret in fumos & aera. Confidimus quippe in Libro priori invictis & inconcussis demonstrasse argumentis; Deum fuisse, qui locutus est nobis, quidquid Moyse, quidquid Patriarchæ, quidquid Prophetæ locuti sunt nobis, & veteres Hagiographi in suis, qui in Bibliis prostant, libris nobis consignarunt. Hoc, ut ostendimus, & contra Libertinorum argutias, sophismata, satyras, sarcasinata, & blasphemias, evicimus, eorum testatur Authenticitas, Veritas atque Divinitas, quas adeo claras & perspicuas comprobavimus, ut, quid ultra obloquantur, non habeant, nec inveniant. Verum longe durior atque ingentior offensionis lapis eorum in pratis luxuriæ & effrenis libertatis atque licentiosæ vitæ cursui obstat, scilicet Jesus Christus Dominus ac Deus noster. Si etenim veritati respondet, hunc esse illum ab initio adpromissum Prophetarum oraculis vaticinatum, & juxta integerrimam ac fidelissimam populi Hebraici traditionem expectatum Messiam & Redemptorem, consequenter unicum ac unigenitum Dei filium, qui vita, passione & morte sua, ab Evangelistis conscripta, nos ab hac miseria humana redemit, & a dæmonis captivitate liberavit, qui unicam & salvificam sanguine suo ædificavit Ecclesiam; qui Hebraicam Religionem in Christianam convertit, & divinam suam doctrinam, sine cujus amplexu & adimplerione nemo salvari potest, in sacro suo Evangelio expressum omnibus, qui cælorum regnum possidere, & æternum beati vivere cupiunt, præscripsit; qui vero omnes non baptizatos, non credentes in Do-

minum

minum Jesum Christum, non adimplentes Evangelii doctrinam, non confitentes verbo & opere ejus fidem & doctrinam, a regno cælorum exclusos, sempiternis adjudicavit, & in fine temporum in nubibus cæli comparens districto judicio, & inexorabili & irrevocabili sententia adjudicabit suppliciiis. Hæc inquam, si veritati respondent, actum est de misera & infelici Libertinorum hæc omnia deridentium & blasphemantium turma. Omnes igitur animi & animæ impendunt & exferunt vires, ut has veritates divinas & æternas concutiant, evertant, pessumdent, atque enervent. Huc omnes collinant Libertinorum libri, libelluli, & schediastmata, quibus fere integra nostra inundatur Europa, ut quæ ex omni fere angulo, modo palam, modo furtive, modo fronte aperta, modo styli elegantioris, sive eloquentiæ flosculis & floribus conspersa, modo Faunorum & satyrarum procaci & petulanti hiulca larva induta profiliunt, & totum humanum genus sub blandienti naturæ primævæ stibio in suas trahere partes, h. e. postremas quoque Religionis scintillas in eorum animis extinguere, moliantur. Credunt hi malefani *auribus prurientes Magistri*, quod si suum consecuti sint finem, ut Religionem Christianam e nostris eminentiis terris, ac fidem in Jesum Christum, ac ejus sanctum Evangelium credentium eriperent animis, quod ultra in terris, & post hanc vitam in futura metuant & formident, ultra non esse. Pro stolidam insaniam! Quasi propterea cessasset fides & Religio Christiana, quia Orientem ingratum & infidelem dereliquit, & Mahumedanorum deliriis in prædam cessit.

fit. Prò cœcos & cœcorum ductores! Quasi ideo Deus cessaret esse Deus, quia ipsi aut eum agnoscere, aut adorare, aut confiteri detrectant. Prò impudentissimam amentiam! Quasi propterea Jesus Christus non esset Redemptor & Liberator noster, & ejus Evangelium Divina veritas non esset, quia aut ipsum negare, aut hanc abjurare auderent. O! destruant, si possint, Religionem Christianam in Patria, ut eorum unitæ attentant vires, transfibit ex nostra in alias regiones, quas barbaras dicimus, gentiles atque paganas. Et fors gratitudine majori pro cœlesti hoc beneficio Deum colent & adorabunt, quam ipsa & ingrata gens illa, quæ lubentius credit huic stolidæ Libertinorum turmæ, quam Jesu Christo Domino nostro, ejusque Ministris, & Regni sui Præconibus, qui aut ferme timent, aut non sufficient, irrumpenti impietatis flumini objicere aggerem, quæ e terris nostris Christianam Religionem, si non evertere, tamen depopulari minitantur. Sed hoc solatio fit nostro, in cassum laborat Libertinorum insolentia; Religionem evertere in æternum non poterunt, licet quosdam, vel & plures, quod sanguineis deflemus achrymis, a Religione avertere, succedat ipsis. Hæc Divina est veritas nec mundi interitu concutienda. Fundata est supra firmam Petram Fides & Religio Jesu Christi, ejusque Ecclesia, & portæ inferi non prævalerunt adversus eam; quid igitur infernales valebunt Apostoli? Potens est Dominus, & terribilis est exercituum Deus, sicut suam novit contra infernum & antiquam superstitionem & idololatriam propagare per mun-

mundum universum Religionem Christianam, sic & novit, credo, eam contra hos diabolicos insultus in iis servare terris, in quibus ringente & obstrepente inferno & idololatria, implantaverat olim. Nostra non eget ope aut opera. Sed dolorem, & gravem quidem Christiano cordi movent incauti & infelices illi, qui aut Evangelici jugi suavissimi pertæsi, aut de fide sua parum instructi, aut seductorum impietatibus, erroribus ac blasphemiiis decepti, aut voluptatum cœno immerfi, aut mundi perverfi illecebris irretiti, castra Jesu Christi deserere, & ad Libertinorum sensibus & carni arridentia prata transire non verentur. In gratiam igitur eorum calamum & linguam stringere necesse est, ut saltem si deceptos lucrari non detur, decipiendos ab Apostasia retrahamus, & interitu. Utrique tamen hic noster consecratus sit labor. Primis, ut videant, quam sublevis, falsis, & vere ridiculis, ac sæpe impiis, omnique a veritate abludentibus inhæreant erroribus; Ceteris, ut iis perspectis, in quem errorem Labyrinthum, & in quod æterni discriminis barathrum sese conjiciant, & præcipites agant, facile dignoscant; Utrique vero, ut videant & percipiant, quæ Christianæ Religionis sit veritas, quæ fidei Jesu Christi sit sanctitas, quæ ejus doctrinæ puritas & suavitas, quæ sectantium eam in terris tranquillitas; ac tandem pro altera vita felix securitas. Quæ demum sit homine rationis compote dignissima agendi ratio, prudentia atque consilium, Religionem Christianam profiteri corde, ore, & opere; Etenim, si vera est Religio Christiana (cujus veritati, sole clariori,

clariori, comprobandæ accingimur) certe qui sectatur illam, æternum & in hac & in altera vita beatus erit; qui vero deserit eam, & hic certo certius, & ibi æternum miser erit. Sin autem Religio Christiana a veritate deviare (quod esse nequit, quousque Deus est Deus, cum nec falli nec fallere possit) certe qui sequitur eam, honeste & consolabiliter vivit, & quod perdat aut periclitetur, non habet. Quid nunc homine prudente dignius? periculo & discrimine libera incedere via, quam testantur omnes, & impii quoque; aut ambulare in ea, cujus novissima ducunt ad interitum, ut monstrant plurimi, & dissentiunt pauci, sique non alio, ac proprio ingenio ducti?


V. Dissectum igitur nectamus filum. Comprobatum est, post Adami peccatum, malorum & miseriarum in mundo originem, a Creatore adpromissum esse Messiam & Redemptorem, qui malis mederetur nostris, & misérias nostras, infelici peccati pœnas, in bona & præmia converteret æterna. Hæc adpromissio, toties repetita, tot innumeris est firmata oraculis, & ipse Redemptor, ejusque Nativitas, Vita, Passio & Mors, quæ redemptionis sunt pretium, tot & tam vivis sunt delineati coloribus, ut in persona ipsius falli, possibile non sit. Demonstramus igitur, hunc Messiam & Redemptorem adpromissum fuisse Jesum Christum, in cuius Nativitate, Vita, Passione & Morte ad literam consentiunt omnia, quæ Deus per Moysen, ceterosque veteris Testamenti Prophetas humani generi de eo revelare

lare dignatus fuit. De adpromissione futura dubitare amplius non licet, cum in libro priori, ut diximus, contra Paganos, Judæos & Libertinos invictis argumentis librorum, eam testantium & recensentium, authenticitatem, veritatem & Divinitatem monstraverimus. Quid? quod, si etiam hic Jesus Christus nec nobis adpromissus, nec Prophetarum oraculis monstratus fuisset Messias & Redemptor futurus, tamen ex ipsius vita, sanctitate & innocentia, passionis & mortis constantia, continuis, iisque divinis miraculis, & oraculis ad literam completis, ex puritate & sanctitate doctrina & Evangelii sui plane & plene convicti essemus, hunc Jesum Christum non esse alium, ac Deum & Dominum nostrum. De ipsius igitur Veritate ac Divinitate cum nec dubii umbra superfit, & hic ipse monstratur ille adpromissus Redemptor, consummatissima nobis comprobatur Christiana Religio, & Ecclesia, quam pretioso Sanguine suo; deleto Testamento veteri, ædificavit novo; quam per Apostolos suos prædicari, & Martyrum sanguine per orbem universum firmari fecit, ita, ut ad sæculorum finem sit in primæva sanctitate & integritate sua permanens. Extra quam, sicut non datur Redemptio, ita nec ulla salus. Quam tamen veritatem susius demonstrandam ad alteram hujus libri partem differendam censemus. In præsentiarum igitur erudito Auditori atque Lectori commonstrabimus, Dominum Jesum Christum esse revelatum & adpromissum Messiam & Redemptorem, & ipsum per vitam, passionem & mortem suam, ad minimas circumstantias usque Prophetarum

rum oraculis prædictam, univèrsùm redemisse genus humanum. Quam veritatem fidei & Religionis nostræ per stupenda ipsius miracula, per Prophetias mirabiliter completas, & per opera, quæ aliis non fecit, nec non nisi Deus & unigenitus Dei filius facere posset, inconcussa firmabimus; quicquid enim Judæorum perfidia, paganorum cæcitas, & hodiernorum Ethnicorum sive Libertinorum pervicacia aut insania oblatrare est ausa, & audet, plano & simplici ubique explodemus responso; atque ne nobis infelices hi Philosophi, prout hodie audiri & compellari malunt, nobis objiciant, ut solent, ea, quæ de Jesu Christo dicimus, nos ex impuro & incerto hausisse fonte, invicte commonstrare adlaborabimus, ea, quæ de Jesu Christo Domino ac Deo nostro scripta & tradita sunt, infallibili fulciri authenticitate, veritate & Divinitate, Tandem, quinam sit Spiritus Evangelii Jesu Christi, quæ doctrinæ dogmaticæ & moralis sit Divinitas, Sanctitas & Veritas, in quantum nostræ concedent vires, ob oculos & aures Lectoris & Auditoris ponemus; ut tandem non solo animo percipiant, sed & oculis videant, & quasi manibus palpent, veram atque Divinam esse Religionem Christianam, ejusque Ecclesiam esse unice salvificam, extra quam, qui vivit, vitam non habet, nec consequetur in æternum. Ipse enim Redemptor noster in vita & doctrina sua factus est forma Christiani hominis, quam priorem qui non imitatur, & posteriorem qui non sectatur, partem in eo habere non potest; proinde e Regno cælorum, sanguine suo coempto, exclusus in æter-


nis

nis lugebit suppliciis. Quæ tamen postrema veritas, ut sæpe diximus, in postrema libri parte, ubi miserrimas Libertinorum, de intollerantia, tyrannide, & nocivitate Religionis Christianæ, querelas & convicia discutimus, ineluctabili firmabitur argumento. Manum igitur ad Tabulam.



PARS PRIMA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.



I. **R**eligio Christiana suum sortita est nomen a Jesu Christo, unigenito Dei Filio, qui descendit de cælis, incarnatus, & homo factus est, & passionem & mortem suam univèrsùm humanum genus, quod cum Protoparente suo Adamo in peccatum, & peccati justissimas pœnas prolapsus fuerat, redemit. Vocabatur Christus, h. e. *Unctus Domini*; & inde ejus discipuli atque sequaces Christiani compellati fuere. (a) Est autem Religio Christiana Fides in Jesum Christum Unigenitum Dei Filium a Patre, ad redimendum humanum genus, de cælo missum, per obumbrationem Spiritus Sancti, in utero Virginis incarnatum, natum, passum

(a) Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. Act. XI. 10.

passum & mortuum; resurgentem ab inferis, ascendentem in cœlum, sedentem a dextris Dei, venientem ut Judicem, judicaturum universos. Est fides & professio doctrinæ hujus Dei-hominis, quam ambulans in carne super terram Apostolis & Discipulis suis tradidit, & quæ non interrupto canale ad nos usque pervenit, & quæ in Evangelio, aliisque novi Testamenti libris, & verbo Dei tradito, sive Epistolis Apostolorum continentur.

II. Continet autem hæc doctrina Jesu Christi veritates æternas & divinas, humanæ rationi inaccessibiles, mediantibus Patriarchis, Prophetis, & ipso Filio Dei unigenito ac Apostolis suis ab ipso instructis revelatas, circa mysterium Dei Unius in natura & Trini in Personis, circa peccatum primi hominis, quod in posteros suos cum funestis sequelis suis transfusum fuit; circa promissionem Messæ & Redemptoris, qui homini lapsæ primitivam restitueret innocentiam cum omnibus privilegiis suis gratiæ & vitæ æternæ, & qui loco ipsius Divinæ justitiæ offensæ satisfaceret; circa Messæ & Redemptoris hujus adventum & incarnationem; circa sacrificium passionis & mortis suæ, quo mundi peccata expiavit; circa Resurrectionem & Ascensionem suam, qua homini redempto jus resurrectionis & vitæ æternæ promeritus fuit, & iterum venturus est, judicare vivos & mortuos. Et hæc sunt veritates, quæ Christianæ Religionis dogmata dicimus, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, scilicet SS. Trinitas, peccatum originale,

nale, Incarnatio & Divinitas Jesu Christi, ejus prædicatio, passio & mors, Resurrectio, Ascensio, Redemptio, peccatorum remissio, stabilimentum Ecclesiæ, communio Sanctorum, Resurrectio mortuorum, vita æterna, &c.

III. Altera pars Doctrinæ Jesu Christi, est Doctrina moralis & salvifica, quæ fundatur in lege naturæ omnibus hominum cordibus insculpta, quæ docet hominem generalem cultum Deo debitum, & Bonum, quod amare, & malum, quod fugere debet; hæc autem Doctrina Evangelica Jesu Christi, præter ea, quæ, ut diximus, homo Christianus credere debet, docet quoque limpido facili & præciso modo, quæ agere & operari, qui Deum colere, eique servire, atque omnia mandata sua, in Dilectione Dei & proximi comprehensa, cognoscere & adimplere debeat, ut placeat ei, & æternam consequatur vitam.

IV. Hæc est Religio Christiana, quæ incredulos, & hujus sæculi Libertinos, eorumque perversam cogitandi & agendi libertatem premit & coarctat, hinc omnem lapidem movent, ut Jesu Christi, unigeniti Dei Filii, adpromissi Messæ sive Redemptoris Historiam, & Doctrinam pessudent atque evertant; bene conscii, quod, si vera sit sacra Evangelii Historia, ejusque Doctrina, actum sit de ipsis, ipsorumque vita & salute. Contra hos igitur demonstranda est nobis Religionis Christianæ veritas, atque Divinitas. Quapropter sit.



CAPUT PRIMUM.

DEMONSTRATUR JESUM CHRIS- TUM, IN BETHLEHEM EX B. MA- RIA VIRGINE NATUM, ESSE ADPROMISSUM ET EXPECTATUM MESSIAM ET RE- DEMPTOREM.

Sille est adpromissus Messias & Redemptor, in quo omnes veteris Legis de ejus Adventu, Incarnatione & Nativitate Revelationes & Prophetiæ ad literam completæ reperiuntur. Prophetiæ enim, sive rerum futurarum Prædictiones, si, in præstituto in Prophetiis tempore, compleantur, sunt infallibile Divinitatis & Veritatis signum; Deus enim solus est, ut in Libro primo de Prophetiis verba facientes diximus, & demonstravimus, qui futurorum sæculorum noctem perfringere, & ea, quæ naturali cognitioni impervia, & modo post multa sæcula ventura sunt, videre, & prædicere potest; quia ipse solus est supremus omnium temporum, rerum & eventuum Dominus, cui omnia in æternitate præsentia sunt, & cujus omniscio oculo nil se subtrahere potest, & per quem, & in quo, & ex quo omne id, quod est, solum est, & existit.

Sed

Sed in Jesu Christo ex B. Maria Virgine in Bethlehem nato completæ sunt omnes Prophetiæ in veteri Lege de ejus Adventu, Incarnatione & Nativitate revelatæ; igitur ipse est verus in lege adpromissus & expectatus Messias & Redemptor. Sat superque satis in Libro priori demonstravimus, Libros veteris Legis esse authenticos, veros atque Divinos, igitur, ut solum eorum de Messia Librorum vaticinia proferamus, & eorum in Christo nato adimpletionem commonstremus, superest; sit igitur

SECTIO PRIMA.

ADFERUNTUR DE MESSIÆ AD- VENTU ET NATIVITATE PROPHETIÆ ANTIQUÆ LEGIS.

§. I.

*Prima Messia venturi adpromissio in Paradi-
so facta.*

I. **C**apsus erat Protoparens noster Adamus in Paradiiso, in quo collocaverat eum Dominus, ab infelici matre nostra Eva, quam serpens seduxerat, seductus, vetitum comedens fructum; & mortis sententiæ, tum temporalis, tum æternæ, infelicem posteritatem suam, æternam perituram, involverat, nisi misericors Deus lapsum hominem in plenitudine dierum redimendum decrevisset. Hæc mundi Propheta & Historio-

B 2

gra-

graphus Moyſes ſermone tam claro & ſimplici in primo & ſecundo Geneſeos Capite enarrat, ut ultra, cum probata ſit libri veritas atque Divinitas, dubitare non liceat.

Hanc autem Redemptionem humani generis eſſe futuram, ſive Meſſiam eſſe venturum, ipſe Divinus Juxta in ea, quam in ſeductorem ſerpentem tulit ſententiam, hiſce verbis prædixit: (a) *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, ipſa (vel ipſum, ut alii legunt) conteret caput tuum.*

II. Hoc oraculum de Meſſia ſive Redemptore venturo ſub ſemine Mulieris, h. e. Matris ipſius futuræ, quæ ſeductoris ſerpentis, qui erat Diabolus, conteret caput, intelligi debere, omnes conveniunt Scriptores, ſive novæ, ſive veteris Legis. Imo ſic ipſi primi intellexerunt Parentes. Vix enim prolata in hominem Mortis ſententia, Adam mulierem ſuam compellavit Evam (b) h. e. *Matrem cunctorum viventium.* Nonne potius Matrem cunctorum Mortuorum aut morientium compellare debuiffet, niſi ex Oraculo audiiffet, Mulierem aut ſemen ejus, caput ſerpentis ſeductoris eſſe contriturum, & humanum genus a Morte redempturum? Sic & ipſa Mater noſtra Divinum intellexit Oraculum, cum Primogenitum ſuum parturiens exclamavit: (c) *Poſſedi hominem per Deum;* aut ut alii conſtructionem

He-

(a) Gen. C. III. 15. (b) Gen. C. III. 20. (c) Ibid. C. IV. 3.

Hebraicam legunt: *Poſſedi hominem, qui eſt Deus, h. e. adpromiſſus Meſſias ſive Redemptor, ſive Homo-Deus.* (a) Vidit equidem Eva ſpem ſuam in Caino deluſam, cum non Cain, ſed Abel eſſet Figura Chriſti, ſed ſpe ſua non cecidit, in ſemine ſuo expectans Meſſiam. Cum enim pareret Seth, ruruſ exclamavit: (b) *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abeli.* Semper in ſemine ſuo expectans Meſſiam. Teſtantur quoque ſacræ Literæ, Enoch ſeptimum ab Adamo prædixiſſe Adventum Domini h. e. Meſſiæ: *Ecce venit Dominus.* (c) Ipſumque Jobum clare confeſſum fuiſſe: (d) *Scio, quod Redemptor meus vivit . . . Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt . . . reſoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Unde Salvatoris adventum poterat ſcire Enoch, niſi ex traditione Adami? Unde Redemptorem noſſe poterat Jobus Idumæus, non ex Abrahamo descendens? Non ex lege naturæ, quo ſe illa non extendit. Ergo ex Traditione poſteriorum Adami. Sed unde Adam, niſi ex hoc Divino Oraculo? cum præter illud, uſque ad Enoch & Jobum nullum de Meſſia & Redemptore Oraculum in ſacris Literis reperiamus.

III. Hebræos antiquos in hoc Oraculo ſpem & expectationem ſuam Meſſiæ venturi poſuiſſe, teſtatur *Targum Jonathanæ* (e) Ecce paraphraſin: *Quoſque filii Mulieris obſervaverint præcepta legis, ſeſe parabunt, ad conterendum caput*

R 3 put

(a) V. Zach. Henſel Diſſert. de Gent. Deſid. & Pfeiff. Oper. Phil. Tom. 5. (b) Gen. III. 25. (c) Judæ Epift. V. 14. (d) Job XIX. 25. 27. (e) V. Burnet. Deſenſ. de la Relig. VI. pag. 203.

put tuum; cum autem violabunt illa, tu insidiaberis, morderere calcaneos earum. Pro ipsis tamen remedium erit, non autem pro te; ipsis enim applicabitur medicina in diebus Regis Messiae. Similia habet Targum Hierosolymitanum, & Onkelosi; propterea universale dogma fidei apud Hebraicam gentem ille Articulus duodecimus Symboli eorum, his verbis contentus: (a) *Credo plena fide Messiae Adventum, qui nobis a principio promissus fuit, & licet venire cunctetur, expectabo tamen, usque dum veniat.* Unde hæc plena fiducia, nisi a primitiva primorum Parentum traditione? Et quis dubitet, misericordissimum Deum, antequam lapsos expelleret Parentes, Messiae venturi solatium dedisse, ut manerent fideles, & suos in fide & fidelitate educarent posteros. Sed quale, nisi hoc ipsum Oraculum, Divinae Adpromissionis reperimus solatium?

§. II.

Altera Prophetia de Messia venturo facta Abrahamo, & Filio suo Isaac & Nepoti suo.

I. *Fit Dominus ad Abraham, (b) In te benedicentur universæ cognationes terræ; & rursus (c) Benedicenda sint in illo omnes nationes terræ; rursusque (c) Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quæ est benedictio ista omnium nationum & gentium terræ ter a Deo repetita, nisi Gratia Salvatoris ex semine suo in

(a) V. Buxtorf Synag. Jud. (b) Gen. C. XII. 3. (c) ibid. C. XVIII. 18. (d) Genes. XXII. 18.

omnes Nationes terræ diffusa? Et quodnam Abrahami semen, ex quo hæc benedictio in omnes gentes diffusa fuit, nisi Christus, qui est natus ex semine ipsius, & qui est adpromissus Salvator & Redemptor omnium, & ut, si possint, ostendant nobis Libertini, cui ex semine Abrahamæ possit hæc ter repetita a Deo promissio & Prophetia applicari, & in quo alio benedictionis genere ea fuerit, aut potuerit esse adimpleta? Aut Deum in aera locutum fuisse credamus? locutum enim fuisse Moysaicae narrationis absque omnicontradictione testatur Authenticitas, Veritas, atque Divinitas.

II. Quod autem Deus promisit Abrahamo, promisit & filio suo Isaac: (a) *Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ.* Quod promisit Isaaco, promisit & ipsius filio Jacob: (b) *Benedicentur in te & in semine tuo omnes tribus terræ.* Quodnam est autem semen Isaaci & Jacob, nisi Jesus Christus adpromissus Messias, in quo & per quem omnes gentes & omnes tribus terræ per Redemptionis gratiam benedictæ fuerunt? Aut poterant Hebræi, aut possunt Libertini in hanc usque horam quemdam ex semine Abrahami, ex semine Isaac, & ex semine Jacob adinvenire, atque monstrare, qui benedixerit, aut universale quoddam Benedictionis genus in omnes nationes, gentes & tribus terræ diffuderit, nisi illum, qui natus est ex Maria Virgine, & descendit ex semine Abraham, Isaac & Jacob?

B 4

§. III.

(a) ibid. & XXVI. 4. (b) ibid. XXVIII. 14.

§. III.

Prophetia Jacob, in qua prædefinitur tempus Adventus Messie.

I. **C**larior & expressius prædixit Messie adventum Patriarcha Jacob, dum moriens in Ægypto benediceret filiis suis: (a) *Vocavit autem Jacob filios suos, & ait eis: congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis . . . veniens ad filium suum Juda, ait: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat (Messias) qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Offendat neminem, me potuisse, loco, qui mittendus est, Messiam. Hebraicus enim textus habet *Sciloh*, quod interpretes derivant a voce sive radice *Scilab*, quod idem est, ac *missit*; recte igitur exprimitur per Messiam h. e. *qui missus, aut qui mittendus est.* Quodsi tamen quispiam cum aliis vocem *Sciloh* derivare velit a voce *Sciluh*, quod vult dicere *requiem*, poterit cum iis vocem *Sciloh* interpretari per *Ducem pacificum*, sive *Regem pacis*; sed hæ sunt voces & nomina ipsissima, quæ secundum confessionem Talmudistarum conveniunt Messie, sicut ipsi convenit vox *Nagid*, quam Isaias (a), & Daniel (b) exprimunt per nomen *Ducis*, & Hagiographus in Paralipomeno (c) per nomen *Principis*; in quacunque demum interpretatione sumatur

(a) *Ecce . . . dedi eum (Nagid) Ducem & Præceptorem gentibus.* Isai. LV. 4. (b) *Usque ad Christum (Nagid) Ducem.* Daniel IX. 25. (c) *De stirpe ejus (Juda) Principes germinati sunt.* I. Paral. C. V. 2.

sumatur *Sciloh* in Prophetia Jacobi, conveniunt tamen omnes Hebræi & Christiani, *Sciloh* non aliud exprime-re, nisi illum, quem nos & ipsi Messiam dicimus. Novimus bene, Hebræos, quorum Exempla sequuntur Libertini, hanc Prophetiam adeo claram & ferientem oculos, in mille distortos vertere sensus; sed quid ipsos juvat vana eruditionis pompa, cum eventuum catenam veritatem testantem perfringere & obfuscare non possint?

II. Audivimus Jacob dicentem: *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Incipit a Ruben primogenito, & in pœnam, quia *ascendit cubile Patris sui*, (a) ipsum privat jure Primogenituræ. *Effusus es, sicut aqua, non crescas*, & transfert Primogenituram honoris in Judam Quartogenitum (b). *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui*; & tandem ait: (c) *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, h. e. Messias.* Nunc videamus, an non omnia ad literam & syllabam completa fuerint verba Prophetiæ hujus? Cum filii Israel moverent castra juxta imperium Domini in manu Moysi, primi erant filii Juda per turmas suas. (d) *Et dum filii Israel offerrent oblationes suas in dedicatione tabernaculi & altaris, primo die obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda.* (e) Cum dividerent Filii Israel terram promissionis, fors prima extra-

(a) Gen. XLIX. 1. 4. (b) *ibid.* v. 8. (c) *ibid.* v. 10. (d) Numer. X. 13. 14. (e) *ibid.* C. VII. 12.

Et̄a erat filiorum Judæ per cognationes suas (a) Post mortem Josue cum confulerent filii Israel Dominum, quis ascenderet ante eos contra Chananeum, & esset Dux belli: Dixit Dominus, Judas ascendet. (b) In diebus Saul tribus Juda fuit prima, quæ numeraretur in populo. (c) In Davide conscendit tribus Juda Thronum Regni, & regnavit in Hæredibus suis temporibus multis. (d) Cum sub Roboamo dividerentur tribus Israel, & regnaret Jeroboam super decem tribus, Roboam vero super tribus Juda. Benjamin & Levi, sola tribus Juda nomen regni retinuit. (e) Cum tempore Regis Osee transferretur Israel in Assyrios, remansit Juda tantummodo, (f) tenuit sceptrum suum, nec amisit illud, usque dum in pœnam Idololatriæ fuissent dispersæ omnes tribus, & captivæ abductæ in Babylonem. Fuerat autem prædictum ipsis, per Jeremiam Prophetam, dicente Domino: (g) Fugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor Regi Babylonis, & solatium fuerat datum ipsis, dicente Domino: (h) Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Interea in hac ipsa captivitate, manebat sceptrum five Ducatus & Legislatio penes tribum Judam super Israel. Imo habebant Regem, licet captivum. Sic etenim legimus: (i) Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachim

Re-

(a) Josue XV. 1. (b) Jud. I. 1. 2. (c) I. Reg. XV. 4. (d) I. Reg. XVI. 14. (e) III. Reg. XII. 20. (f) IV. Reg. XVII. 18. (g) Jerem. XXVIII. 14. (h) Jerem. XXIX. 10. (i) IV. Reg. XXV. 27.

Regis Judæ, mense duodecimo, vigesima septima die mensis, sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Judæ de carcere, & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Perseveravit igitur sceptrum in tribu Juda, & finita captivitate mox Zorobabel Nepos Joachin, aliique Duces ex Juda præfuerunt populo. Licet enim postmodum fuerint tributarii Persarum, Græcorum & Romanorum, & res ab Hebræis gestas dirigerent Machabæi, qui erant ex Tribu Levi, negari tamen non potest, gubernium ac potestatem legislativam semper fuisse penes Senatum Judæorum, qui ex Tribu Juda congregatus erat. Quis enim dicet, sceptrum a Francisco I. Galliarum Rege fuisse avulsam, cum Carolus V. eum captivum teneret? Quis dicet, v. g. Republicæ Ragusanæ Legislativam Potestatem esse sublatam, quia Portæ Ottomanicæ tributaria facta est? Quis dicet Gallias amisisse sceptrum, quia Comes Saxoniarum res bellicas gessit? Tunc igitur sceptrum & Ducatus Judæorum a tribu Juda avulsa fuere, ut Jacob prædixit, cum Rex alienigena, non a Judæis electus & constitutus, imperavit Hebræorum genti?

III. Et quando hæc Regia & Ducalis potestas a tribu Juda ablata fuit? Quis dubitabit, hoc factum fuisse, cum irrequisito & non expectato Senatus Judaici consensu, Senatus Romanus & Cæsar Augustus, eo quod inter Hircanum & Antigonum prælia & contentiones continuo ferrent, sceptrum Judæ in Herodem Ascaloni-

lonitam, alienigenam & Idumæum, ut ipsum Josephus ipse compellat, (a) transfuissent; Notanda est Herodianorum Hæresis, (b) qui Herodem dicebant adpromissum a Jacob Messiam, eo quod alienigena esset, & scepro a tribu Juda avulso Messias venisset. Sed prius, inquit, scepro Judæ in Herodem alienigenam transiit, ac Christus, quem Messiam dicitis, natus fuisset, modo etenim anno 36, imperii Herodis natus est Christus; ubinam ergo ad literam Prophetia Jacobi adimpleta fuit? Miror, tam celebrem, tam splendidam & admirabilem Prophetiam ad hæc minutias arctari velle. Voluit Deus Hebræis per os Jacob Messie adventus tempus præstitueret, æquum igitur fuerat, ut viderent scepro a tribu Juda ablatum, & inde dignoscerent, Messie tempus advenisse, & in ejus nativitate inquirerent, quam sub hujus alienigenæ imperio contigisse, testantur omnes.

IV. Denique ait in Prophetia sua Patriarcha Jacob: *Et ipse erit expectatio gentium.* Et in quo hæc Prophetia compleri potuit, nisi in eo, qui Gentibus in tenebris suspirantibus attulit lucem, doctrinam & vitam? Hanc gentibus allatam esse, mundus testatur universus; sed per quem, nisi per illum, *qui venit in mundum, ut illuminet omnem hominem, & hic erat Messias Redemptor humani generis universi.*

§. IV.

(a) L. I. de bello Judaic. c. v. (b) Apud Tertull. & Epiphani.

§. IV.

Prophetia Isaie de conceptione Messie ex Virgine.

I. **S**En diebus Achaz Regis Juda ascenderat Rasin Rex Syria, & Phasee Rex Israel in Jerusalem, ad præliandum contra eum. (a) Ad Achaz trementem, & timentem, ne abriperent scepro Judæ, miserat Dominus Isaiam, ut diceret ipsi. (b) *Nolite timere, & cor tuum ne formidet, eo quod consilium inierint adversum te dicentes: ascendamus ad Judam, & avellamus eum ad nos . . . Non stabit, & non erit istud; Sed . . . adhuc Sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus.* Quasi diceret: Cur times, scepro Judæ avulsum iri; ignoras Prophetiam Jacob: *Non auferetur scepro de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Messias?* Regnum Israel ultra annos sexaginta quinque non durabit (quod & adimpletum fuit, cum ex captivitate non rediret.) sed quousque putas perstiturum esse regnum Juda? vel potius, quando credis juxta Prophetiam Jacob Messiam esse venturum? (c) *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Respondebat Achaz: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Dicebat igitur Isaias in Nomine Dei: *Audite ergo domus David . . . Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel h. e. Deus nobiscum; ut noscamus hunc filium*

(a) Isai. C. VII. 1. (b) ibid. 4. 5. 6. 7. 8. (c) ibid. v. 11. 12. 13. 14.

filium ex Virgine natum verum esse Deum. (a) Quousque igitur vult dicere Isaias hoc portentum inauditum non evenerit, non habes, cur timeas. De eodem portento vaticinatur Jeremias: (b) *Creavit Dominus novum super Terram, Fœmina circumdabit virum.*

§. V.

*Propbetiæ aliorum Prophetarum de loco nati-
vitatatis, & de variis circumstantiis ejusdem.*

I. **S**piritus Hebræis, eorumque Sacerdotibus asserentibus revelavit Dominus locum, in quo nasceretur Messias, scilicet apud Michæam prophetantem: (c) *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in Millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.* Aut ut Sacerdotes citarunt Prophetæ textum: (d) *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Atque ut nosceremus, hunc parvulum in Bethlehem natum in tempore verum esse Messiam venturum, scilicet Filium Dei, verum Deum & hominem, subdit Michæas: *Et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.*

II. Prædixit Isaias, Messiam a suis neque cognitum neque receptum iri in natiuitate sua, sed bovem inter & asinum in præsepi reclinandum fore. (e) *Cognovit bos Possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel*

autem

(a) Massor. Seph. Aman C. II. (b) Jerem. XXXI. 22
(c) Michæ V. 2. (d) Matth. II. 6 (e) Isai. I. 3.

autem me non cognovit. & populus meus non intellexit.

III. Prophetavit Balaam in Oriente: (a) *Orietur stella ex Jacob; & consurget Virga de Israel . . . & de eo, quem nunciabit hæc stella, ait: (b) De Jacob erit, qui dominetur.* De hac stella in Natiuitate Messie oritura sic ait Isaias (c) *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est . . . super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur; & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi filii tui de longe venient . . . tunc videbis, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi: Inundatio Camelorum operiet te; Dromedarii Madiam & Epha: omnes de Saba venient, aurum thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Et Psalmista præcinit (d) *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis . . . & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum; coram illo procident Æthiopes, inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & Insule munera offerent; Reges Arabum & Saba Dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes servient ei.*

IV. In eodem capite, ubi Jeremias prædicit illud novum

(a) Numer. XXIV. 17. (b) ibid. v. 19. (c) Isai. LX. 7
v. 1. & seq. (d) Psalm. LXXI. 9, 10. seq.

novum portentum super terram, quod *fœmina circum-*
dabit virum, vaticinatur quoque: (a) *Vox in excelsu au-*
ditæ est lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis fi-
lios suos, nolentis consolari super eos, quia non sunt. Et
Propheta Osee prædicit: (b) *Puer Israel, & dilexi eum,*
& ex Ægypto vocavi filium meum. Et alii Prophetæ
prædicunt, ipsum *Nazareum* esse vocandum.

V. Prætereo alia Prophetarum Oracula, quibus
Libri veteris Legis sunt pleni, quæ omnia Messiam, Sal-
vatore, & Redemptorem venturum prænuunciant &
prædicant, & ipsum vocant *Missum & mittendum a Deo,*
desideratum a gentibus, Expectationem gentium & natio-
num, Sanctum Sanctorum, Christum, & unctum Domini,
Authorem Justitiæ, Filium Dei, verbum æternum, Sapien-
tiam Patris, Characterem suæ substantiæ, Splendorem glo-
riæ suæ, Speculum suarum perfectionum, imaginem bonita-
tis suæ, Patrem sæculorum, per quem creata sunt sæcula,
Principem & Angelum pacis, viam, veritatem & vitam;
victimam pro peccatis & propitiationis, Holocaustum, ho-
stiam, Pontificem, Mediatorem, Advocatum, Sapientiam,
Justitiam, Redemptorem & Sanctificatorem nostrum, Domi-
natorem cæli & terræ, Caput filiorum Dei, & Angelorum,
filium hominis, primogenitum ex fratribus, & Primoge-
nitum Mortuorum; Clavem David, quæ aperit & nemo
claudit, quæ claudit & nemo aperit. Judicem omnium
populorum, & quæ sunt familia Divina prædicata & attri-
buta, quæ hinc inde in Prophetarum Oraculis sunt di-
spersa,

(a) Jerem. XXXI. 15. (b) Osee XI. 1.

spersa, & vel verbis claris, vel Prophetiis & mysticis
aut tropologicis expressa, quorum exscribendis non suf-
ficerent pagina.

VI. Prætereo & illa, quæ Messiaæ adventum, na-
tivitatem, nomen, aliasque in ejus nativitate circumstan-
tias expresserunt: aliam æternam: (a) *Ex utero ante Lu-*
ciferum genui te; aliam in tempore, ubi *natus est infans*
Homo Deus: (b) *Parvulus natus est nobis, & filius datus*
est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, &
vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis,
Pater futuri sæculi, Princeps pacis; multiplicabitur ejus Im-
perium, & pacis non erit finis; super solium David, & su-
per regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret
in judicio & justitia amodo & usque in æternum. Quod
fit nasciturus ex stirpe Jesse, familia David: (c) *Et egre-*
dictur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.
Quod sit compariturus in despectu & paupertate: (d)
Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de ter-
ra sitienti, non est species ei nec decor, & vidimus eum,
& non erat aspectus, & desideravimus eum. Quod no-
men dabitur ei, nomen *JESU*, nomen *Salvatoris:* (e)
Ecce Deus Salvator meus . . . factus est mihi in salutem . . .
& dicetis in die illa: confitemini Domino & invo-
cate nomen ejus . . . Mementote quoniam excelsum est
nomen ejus. Et apud Prophetam Habacuc: (f) *Egressus*
es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. . .

C

Ego

(a) Psalm. CIX. 3. (b) Isai IX. 6. 7. (c) Isai. XI. 1.
(d) Isai. LIII. 2. (e) Isai XII. 2. 4. (f) Habac. CIII. 13. 14.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. Hæc inquam, aliaque de Messia Adventu, & Nativitate Oracula lubens prætereo, quia alias integros deberem Prophetarum exscribere libros. De Messia, dixi: Loquuntur enim de Deo Salvatore & Redemptore, quem expectabat Gens Judæorum, omnesque nationes terræ; sed non de Deo, ut puro Deo, sed ut Deo homine, & incarnato, h. e. cui Messia venturo soli hæc Oracula tribui possent. Superest igitur, ut videamus, an hic Messias advenerit, & quis sit ille, & an in ipso hæc omnia Prophetarum Oracula de Messia pronuntiata ad literam fuerint adimpleta.

SECTIO SECUNDA.

IN CHRISTO JESU IN BETHLEHEM EX MARIA VIRGINE NATO ADIMPLETA SUNT OMNIA DE MESSIAE ADVENTU ET NATIVITA- TE FACTA VATICINIA ATQUE ORACULA.

§. I.

*Adimpletum est in Nativitate Jesu Christi
vaticinium sententiæ Dei in serpentem.*

Anno mundi circiter 4000. Ante Æram vulg. 4
Julianæo 41. U. C. 749. Olymp. 193. anno
4. Coll. Augusto XII. & Sulla. Cæsaris Augusti 40.
Regni Herodis 36. Die 25. Decembris in Bethlehem

Ju-

Juda natus est ex Maria Virgine ex tribu Juda, de Domino David *Jesus Christus*; sed hic est, qui contrivit caput serpentis, ergo in Jesu Christo adimpletum est Vaticinium sententiæ Dei in serpentem latæ. Contritio capitis serpentis est Redemptio generis humani a peccatis suis, & potestate Dæmonis, quam incurrit per peccatum Adami, & promeruit Mortem temporalem, ejusque tristes miseras, atque æternam; Sed hic ipse *Jesus Christus* natus in Bethlehem redemit genus humanum a peccatis & potestate Dæmonis, & mortem temporalem & æternam commutavit in vitam æternam, ut audiemus.

Hoc autem solus potuit, Deus & Filius Altissimi, qui est Creator & Dominus creaturarum omnium, ipsiusque serpentis infernalis, scilicet Dæmonis; & qui est Author vitæ & necis temporalis & æternæ. Sed hic ipse parvulus in Bethlehem natus est Deus & Altissimi filius, *Verbum Patris Caro factum*. Quem veriorem & securiorem possumus Veritatis hujus habere testem, quam ipsum Deum, cælum, & Angelos ejus. Audiamus igitur, quid Deus, quid cælum, quid Angeli ejus testentur (a) *In diebus Herodis Regis Judæ (b) missus est Angelus Gabriel a DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria, & ingressus Angelus ad eam dixit. . . . Ecce concipies in utero*

C 2

10,

35. (a) Lucæ I. 5. (b) ibid. v. 26. 27. 28. 31. 32. 33.

ro, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Ideoque quod nascetur ex te sanctum (h. e. Messias) vocabitur filius Dei. Hoc regnum non potuit esse temporale & mortalis hominis, sed æternum & Filii Dei. Idem testimonium dat Angelus Mariæ Sponso Josepho: (a) Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem Filium & vocabis nomen ejus Jesum: ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc est conteret caput serpentis; liberabit a peccato Adami; & potestate Dæmonis universum humanum genus. Idem testatur & cælum, & Angeli de cælo in ejus nativitate delapsi ad pastores custodientes vigilias noctis super gregem suum: (b) Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Si igitur Jesus Christus puer natus in Bethlehem est Filius Altissimi, si est Christus, si Dominus, si Salvator, si salvum fecit populum suum a peccatis eorum, si est semen Virginis Mariæ de tribu Juda, ex domo David, ergo est semen mulieris, quod contrivit caput serpentis, ut Deus prædixit in Paradiso Et quid multis, si ipse testatur Pater cœlestis (c) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quod si ergo Jesus Christus in Bethlehem natus est ipse Filius Dei,

(a) Matth. I. 20. 21. (b) Luc. II. 10. 11. (c) Matth. III. 17. ibid. XVII. 5.

Dei, imo Deus ipse, igitur est ille adpromissus in Paradiso Messias, quem Prophetæ dicunt *Filium Dei*, (a) *Deum* (b) & *Dominum* (c), qui serpentis contrivit caput, ut suo audiemus loco.

§. II.

Adimpleta est in Christo Jesu Prophetia Abraham, Isaac & Jacob a Deo facta.

Promisit Deus Abraham, Isaac, & Jacob, quod in semine eorum benedicentur omnes gentes, tribus & nationes terræ. Audivimus autem Jesum Christum ex semine Abrahami, Isaac & Jacob, linea directa descendentem; natus est enim ex Maria Virgine desponsata Viro, cui nomen erat Joseph, ex tribu Juda, de Domo David; si autem Joseph vir ejus fuit de Domo David ex tribu Juda, fuit & ipsa Virgo de eodem tribu & familia; quia Judæis juxta Numerorum (d) legem præscriptum erat, ut nubere de tribu & familia sua, de tribu autem & familia Josephi fuisset Mariam Virgineam Matrem, testantur Matthæus & Lucas, qui texunt Genealogiam Christi, non quidem B. Virginis, sed Josephi; qua autem ratione hæc Genealogia Josephi potuisset dici Genealogia Jesu Christi, si Joseph & Maria non ex eadem fuissent tribu & domo, cum Joseph non carnalis fuit Jesu Christi Pater, ut in §. IV. sequenti dicemus, sed solum nutritivus? Igitur dicendum est, B. V. fuisse

(a) Osee XI. 1. (b) Isai. IX. 6. (c) Psalm. IX. 1. (d) Numer. XXXVI. 61.

fuisse ex femine Abrahami, Isaac & Jacob, Judæ & David, ut ipsius testantur Genealogistæ; Matthæus, qui ait (a) *Liber Generationis Jesu Christi filii David, Fili Abraham: Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam. Judas genuit . . . & ex Judæ progenie in linea recta deducta Jesse, (b) Jesse autem genuit David Regem, . . . & ex progenie David in linea recta deducta (c) Mathan genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Idem dicit S. Lucas, Genealogiam Christi describens, ascendendo, ut scripserat Matthæus descendendo: (d) *Joseph, qui fuit Heli. . . usque ad Judam, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham.* Et quid obest, si dicamus Mathan habuisse duos filios Jacob, & Joachim; Jacob, qui fuit pater Joseph, Joachim, qui fuit pater Mariæ; Utraque ergo & Joseph & Mariæ Genealogia fuit eadem, & Jesus ex Virgine natus, vere natus ex femine Abrahamæ, Isaac & Jacob, in quo eorum femine omnes gentes, tribus & nationes terræ benedicendæ prædicebantur. Et qui copiosius a Christo Jesu Abrahami & Jacobi femine benedici poterant, quam per copiosissimam, quam ipsis impertitus est & meritis Redemptionem, atque salutem, cunctis gratiarum & benedictionum cœlestium bonis affluentem? Atque ut omnem de hac generatione scrupulum excutiamus, audiamus Evangelistam: (e) *Ascendit autem Joseph a Galilæa*
de

(a) Matth. I. 1. (b) ibid. 6: (c) ibid. 15. 16. (d) Luc. III. 23. (e) ibid. 39.

de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria deponsata sibi. Si B. V. non fuisset ex tribu Juda & Domino David, quare cum Sponso Joseph, virgo gravida, ad profitendum ivisset in Bethlehem civitatem David cum debuisset ire ad profitendum in civitate tribus & domus suæ? Minus officit, quod S. Lucas B. V. Genealogiam texat non per Salomonem, sed Nathan; cum Scriptura teste, Nathan & Salomon fuerint uterini filii David: (a) *Porro in Jerusalem nati sunt ei Filii Simmaa & Sobab, & Nathan & Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammi. l.*

§. III.

Adimpleta est in Christi nativitate Prophetia Jacobi.

Hunc, ait Prophetia Jacob, *sceptrum a Juda ascendendum esse, cum venerit ille, qui mittendus est.* Et quis erāt ille, qui mittendus erat, nisi ille, qui Adam in Paradiso, & qui Patriarchis suis scilicet Abraham & Isaac atque sibi adpromissus erat, ut in hoc eorum femine benedicerentur omnes nationes, gentes & tribus terræ. Hunc autem esse Jesum Christum in Bethlehem natum, ostendimus modo, monstrandum igitur superest, in nativitate Jesu Christi Judæ sceptrum fuisse ablatum, proinde ipsum esse, qui mittendus erat. Sed hæc satis monstrasse credimus, si dicimus, & ex Histo-

(a) ibid. II. 4. 5. (b) I. Paralip. C. III. v. 5.

ria Evangelica Jesu Christi docemus, in adventu & Nativitate J. C. nullum ex tribu Juda Principem, aut Sacerdotem, sed alienigenam, & nequidem Judæum, Judæ sceptrum tenuisse. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda,* ait Matthæus (a) *in diebus Herodis Regis. In diebus Herodis Regis Judææ,* ait S. Lucas (b) Rex ergo in Judæa erat Herodes, & Judæa tenebat sceptrum, cum nasceretur Jesus. Quis autem erat hic Herodes? Respondit, ut audivimus, Josephus Hebræorum Scriptor: *Idumæus & alienigena erat,* qui non voto, aut consensu Hebræicæ gentis, sed Cæsaris Augusti, & Romani Senatûs favore, Judæa obtinisset sceptrum. Nec ullus dicat, pridem Judæa e manibus Israel ablatum fuisse sceptrum. Ostendimus etenim, licet Judæi non habuerint Reges, eos habuisse tamen *Duces & Legislatores* ex tribu Juda descendentes, qui ex captivitate reversi gubernii Judaici retinuerunt habenas. Et hoc sat est ad complendam Jacobi Prophetiam, quæ expresse ait: *Non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus.* Non igitur de solo sceptro auferendo, sed & de Ducibus, & Legislatoribus auferendis sermo est; licet igitur gens Hebræa suos prius perdidit Reges; ad Herodem tamen usque suos habebat Duces & Legislatores ex tribu Juda. Frustra distinxisset Jacob *sceptrum inter & Duces,* nisi utrumque auferendum in spiritu Prophetico vidisset. Et tunc venturum esse illum, *qui mittendus erat,* quique *expectatio erat gentium;* Cum igitur Jesus Christus in diebus Herodis Regis Judææ natus est, ubi & sceptrum & Duces,

(a) Matth. II. 1. (b) Lucæ I. 5.

ces, & quidem irrevocabiliter, ac sine omni spe recuperationis a Juda ablati fuere, & cum Prophetiæ ceteræ de eo, qui mittendus erat, in Christo Jesu adimpletæ sint, igitur ipse est Messias, quem expectabant omnes gentes. Metipsi Judæi coram Præsidente Pilato oculatissimum dedere testimonium, sese nec Regem, nec Judicem, nec Magistratum habere, dicentes: (a) *Nobis non licet interficere quemquam.* Et rursus: (b) *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Igitur in Nativitate Christe ablatum erat *sceptrum Judææ & Dux de femore ejus,* ut prædixerat Jacob. Jesum Christum autem in hoc a Jacob prædefinito tempore natum esse illum, *qui mittendus fuit,* & qui erat *expectatio gentium,* magis magisque in sequentibus firmabimus.

§. IV.

Adimpleta est Prophetia Isaïæ in Virgine Matre Jesu Christi.

Foc erat signum atque portentum, quod Prophetia Isaïas in signum, Regnum Israel esse perituum, sceptrum vero Juda a Regibus Syriæ, & Israel non esse auferendum, ex parte Dei, se ipsum esse daturum adpromisit: (c) *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Quasi dicere vellet, hoc portentum si contigerit, tunc Regnum Judæa peribit. Quando nunc autem hæc Prophetia Isaïæ adimpleta fuit? Quando contra Naturæ

(a) Joan. XVIII. 31. (b) ibid. XIX. 15. (c) Isaï. VII. 14.

turæ ordinem Virgo enixa est prolem? Lege Evangelium & doceberis, hanc Virginem parientem fuisse Mariam Matrem Christi, ejusque filium esse Messiam, sive Emanuellem, h. e. Deum incarnatum, alias Deus ab homine nasci non posset (a) *Missus erat Angelus a Deo*, ut audivimus, *ad Virginem desponsatam viro* (erat igitur virgo, & erat Angelus missus a Deo) Nuntius autem erat talis: (b) *Ecce concipies, & paries filium . . .* dixit Maria ad Angelum: (c) *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Erat igitur Virgo, & intemerata Virgo. (d) *Et respondens Angelus dixit: Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Concipiet igitur ut Virgo; (e) *Ideoque, continuat Angelus, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Concipiet igitur & pariet ut Virgo; sic est, ut Isaias prædixerat. *Sanctum, h. e. Messias, nascetur ex Virgine, & hic vocabitur Filius Dei, sive, ut dixit Isaias Emmanuel, h. e. ipse Deus; veniet enim ipse Deus, & salvabit nos, ut alibi hic Propheta ait: (f) Magnum, clamabis, miraculum atque portentum! Sic & fors ipsa cogitavit Sanctissima Virgo; sed Angelus omnem adimit scrupulum (g) Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Etiam ipse Sanctissimus Sponsus ejus Joseph de hoc virgineo partu testimonium reddit: (h) *Cum esset desponsata Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* En duplex Virginitatis testimonium. *Non convenerat Joseph cum ea, ergo erat virgo; inventa*

(a) Luc. I. 26. (b) ibid. 31. (c) ibid. 34. (d) ibid. 35. (e) ibid. 3. (f) Isai. XXXV. 4. (g) Luc. I. 31 (h) Matth. I. 18.

est habens in utero, sed de quo? De Spiritu Sancto, ergo conceperat ut Virgo (a) Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: *Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Igitur concepit ut Virgo, & pariet ut Virgo (e) *Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: *Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium.* Quid ultra addam, ut Lectorem convincam, Prophetiam Isaia in Maria Virgine, Matre Jesu Christi, ed literam completam esse? Sunt, audiemus, qui *fœminam, sed non virginem* concepisse, & peperisse prætendunt. Sed quid magis ridiculum & temerarium, quam reluctatio ista? *Pete tibi signum* dicebat Propheta ad Achaz, *a Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra: non petam, dixit Achaz, non tentabo Dominum.* Audite ergo. . . . *Dabit Dominus ipse vobis signum.* Et quale juxta Sciolos hujus sæculi? Audite & stupefcite, signum majus ac in profundo inferni, & in excelso supra cogitari potest: *Ecce fœmina, non Virgo, concipiet & pariet.* Et hæc est illa missio, & nuntius a Domino Deo? Et hoc est illud omne verbum, quod non est impossibile apud Deum? Hæccine Virtus Altissimi; hæccine obumbratio Spiritus Sancti? Mulier corrupta. Hoc-cine,

(a) ibid. 19. & sequ. (e) ibid. 21.

cinē, quod in utero de Spiritu Sancto? spurius mulieris partus, ut Judæorum ait perfidia, & Libertinorum blasphemiat impietas? Hiccine Filius Altissimi? Hicci ē Emmanuel, sive nobiscum Deus? Hic Salvator mundi? Hic vir, quem circumdedit Fœmina Virgo, quem mirabatur Jeremias? confusus tremiscit calamas.

S. V.

Adimpletæ sunt in Nativitate Jesu Christi Prophetiæ Michææ, Isaïæ, Balaani, Jeremiæ, Davidis, aliorumque Prophetarum de loco, modo, aliisque nativitatibus circumstantiis.

I. **P**rophetaverat Michæas (a) Dominatorem Israelis, sive Messiam, cujus egressus ab initio & ab æternis diebus, exiturum esse ex Bethlehem Ephrata, ad distinctionem ab altera Bethlehem in tribu Zabulon. Et ecce quam mirabiliter hæc Prophetia in Christo Jesu adimpleta fuerit (b) In diebus illis exierat edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis . . . & ibant omnes, ut profiterentur, singuli in civitatem suam. Ascendit igitur & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, que vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit Filium scilicet in Bethlehem.

II.

(a) Mich. v. 2. (b) Luc. I. 1. & sequ.

II. Vaticinatus erat Isaïas, (a) Israellem Messiam & Dominum suum nequaquam cogniturum, nec recepturum, bene autem bovem & asinum cogniturum Possessorem suum; Prædixit quoque (b) Messiam pauperem, humilem & despectum absque specie & decore compariturum esse. Mirare, quomodo & hæc in Christo nato completa fuerint. (c) Non erat locus in diversorio; (d) In mundo erat, & mundus eum non cognovit, in propria venit, & sui eum non receperunt? peperit (igitur B. V.) Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio bovis & asini, quos fors pauper familia in levamen itineris adsumpserat. Et sic invenerunt Pastores, ab Angelis moniti, (e) infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Invenerunt & Reges, ut prædixerant Isaïas & Psaltes.

III. Prophetaverat & Balaam (e) Stellam esse orienturam ex Jacob, & de Jacob venturum esse, qui dominetur, Messiam. Et prophetavit Isaïas, (g) gentes ambulaturas in lumine stellæ hujus, & Reges in splendore ortus hujus; venturos de longe in Jerusalem, venturos de Saba aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Idem & præcinit Regius Psaltes. (a) Nunc videamus, quomodo in Nativitate Christi hæc Oracula impleta fuerint. (i) Cum natus esset Jesus in Bethlehem, narrat S. Evangelista Matthæus: ecce Magi (hoc est Re-

ges.

(a) Isaï. I. 3. (b) ibid. (c) Luc. VII. 2. (d) Joan. I. 10. 11. (e) Luc. II. 7. (f) ibid. 12. (g) Numer. XXIV. 17. (b) Isaï. LX. 3. (i) Psalm. LXXI. 10.

ges, five Reguli) ab Oriente (h. e. ex Arabia felici, quod eorum Munera testantur) venerunt Ierosolymam, dicentes: ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Qui turbari potuissent Rex atque Civitas, si fuissent plebeji, aut simplices Philosophi? Qui admisisset eos Rex Herodes, & didicisset ab eis tempus stellæ, & misisset illos in Bethlehem dicens (a) *Ite & interrogate diligenter de puero hoc, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Quomodo Rex superbus hæc dicere voluisset, nisi fuissent finiles ipsis. Reges igitur fuerunt. Igitur Herodes (b) congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur, & ipsi dixerunt: *In Bethlehem terra Juda; Sic enim scriptum est per Prophetam (Michæam) Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es (Sacerdotes sunt, qui loquuntur) in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Quis non stupeat cœcitatem Judæorum? turbatur omnis Ierosolyma ad Regum adventum, congregantur omnes Principes Sacerdotum & Scribæ populi, dicunt in Bethlehem nasciturum, qui regat populum Israel: Dicunt Reges, se ejus stellam vidisse in Oriente, & venire, ut adorent eum. Dicunt pastores (c) *Angelum Domini stetisse juxta illos, & claritatem circumfulsisse eos, & dixisse Angelum: Natus est nobis*

(a) ibid. 3. (b) Matth. II. 4. & sequ. (c) Luc. II. 9. & sequ.

bis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David: se transisse usque Bethlehem & vidisse verbum, quod factum est: invenisse Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio. Mirati sunt omnes & de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos; sed pedem non movent: Mittunt Reges in Bethlehem; sed incurii remanent ipsi, Pro cœcitatem Judæorum! (a) *Qui cum audissent Regem, abierunt; & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.* Videntes autem stellam gavisissimi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & proci dentes adorarunt eum, & apertis Theauris suis obtulerunt ei munera, aurum, Thus & Myrrham. Qui legit Prophetias Isaïæ & Davidis de Regum horum ex Arabia adventu, & confert cum iis, quæ narrat S. Evangelista; quis continere se potest, exclamare, Ecce hic adpromissus Messias & Salvator mundi!

IV. *Vox in excelsis audita est, vaticinatur Jeremias (b) lamentationis luctus & fletus, Rachel plorantis filios suos &c.* Videamus & hoc Prophetæ vaticinium in Nativitate Christi adimpletum (c) *Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis ((d) Responso enim accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in Regionem suam) (e) iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, secundum tempus, quod ex-*

(a) Matth. II. 9. & sequ. (b) Jerem. XXXI. 15. (c) Matth. II. 16. (d) ibid. 12. (e) ibid. 16. & sequ.

quiserat a Magis, & tunc impletum est, ait S. Evangelista, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Roma audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Vaticinatus est quoque Osee (a) Deum vocasse Filium suum ex Aegypto. Videamus & quomodo hoc Oraculum impletum fuerit: (b) Cum recessissent (Magi) ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge & accipe puerum & fuge in Aegyptum . . . Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Aegyptum; Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur id, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. (c) Defuncto autem Herode . . . consurgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel; audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ, & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur. Denique sicut a Prophetis prædictum fuerat (d) quod nomen Jesu imponendum esset Messie Salvatori, impositum est quoque ipsi. (e) Postquam enim consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, prius quam conciperetur in utero, sic enim dicebat Angelus ad Mariam: (f) Ecce concipies in utero & vocabis nomen ejus Jesum; & pariter ad Joseph: (g) Pariet autem

(a) Osee XI. 1. (b) Matth. II. 13. sequ. (c) ibid. 19. sequ. (d) Habac. III. 18. (e) Luc. II. 21. (f) Luc. I. 31. (g) Matth. I. 21

tem (Maria) Filium & vocabis nomen ejus Jesum. . . . Sic omnia Prophetarum Oracula, quæ de Messie Adventu & Nativitate Deus revelaverat in veteri Lege, ad literam & syllabam adimpleta fuere, adeo ut dicere tentarer, unum eundemque fuisse Scriptorem, qui Jesu Christi Adventum & Nativitatem in Evangeliiis conscripsit, & qui ea, quæ Prophetæ enarrant, Prophetarum libris insperfit; nisi gens Hebraica veteris Legis Depositaria Prophetarum Libros, qui tot ante sæcula ab iis conscripta fuerunt, zelosissime servasset & custodiisset, & ea, quæ Evangelistæ narrarunt, nonnisi octodecim fere retro sæculis, prout contigerunt, fidelissime conscripta & relata fuerunt. Non autem ita persuasos atque convictos sese simulant increduli & Libertini.

SECTIO TERTIA.

REFUTANTUR LIBERTINORUM, CONTRA ORACULORUM IN NATIVITATE J. C. ADIMPLETORUM VERITATEM ARGUMENTA.

§. I.

Libertinorum dubium de Prophetiarum antiquitate & veritate dispellitur.

I. **Q**uid? si hæc Oracula quæ Prophetias dicimus, modo post ipsa Historica facta adinventata & Scriptorum veterum Libris inserta fuerunt?

D

Quid.

Quid autem tunc, si dicta, quæ Oracula dicimus, nequaquam id, quod exprimere contendimus, sed longe aliud exprimunt, & nos ad eum, quem volumus sensum detorquemus? *Quem autem sensum dare possunt Prophetarum dicta, quæ æternæ sunt allegoriæ. Si Prophetias Deus dictasset, claritatis deberent habere characterem, qui distinxisset ab illo æquivoco divinandi sensu, quo homines utuntur; & si Prophetiæ claræ fuissent, certo certius Judæi, qui earum Depositarii erant, sese convertissent, cum adimpletas vidissent.* Sic ait Auctor *Examinis Religionis Christianæ.* (a)

II. Quis non miretur Libertinorum effugia? Si similia Oracula modo post Historica facta veterum Libris inserta fuissent, vel ea soli Hebræi, vel soli Christiani, vel Hebræi & Christiani mutuo consensu inseruissent; Sed quis non absurditatem horum suppositorum vel manibus palpat? Hebræi etenim certo nec volebant, nec poterant, si volebant. Non volebant, quia Christianis arma contra se ipsos suppeditassent, quæ potius, si potuissent, ex Prophetarum Libris erasissent, quam inseruissent. Quodsi tamen voluissent, nequidem potuissent, quia tot exemplaria per mundum universum jam erant dispersa, & in Græcam, Latinam, aliasque linguas post Christi tempora traducta, ut quid simile tentare prorsus ipsis impossibile fuisset. Neque Christiani tentare hoc poterant, quia Hebræi suorum Codicum corruptionem ipsis imposuissent, & viribus cur-

(a) Examen de la Religion. Chap. 7, n. 1. & 2.

ctis simile attentatum repressissent. Quod autem Hebræi & Christiani, qui infensissimi sibi erant inimici, & qui tam diversis & sibi oppositis regebantur finibus, in hoc attentatum consensissent, solus ille Libertinus fingere potest, qui & rationi & sano sensui in pleno meridie absque pudore oculos claudere audeat.

III. Audiamus alterum Libertinorum effugium. Alium inquit, Prophetiæ exprimunt sensum, quam eum, in quem nos Prophetarum Oracula detorquemus. Unde hoc probant increduli? *Æternæ*, inquit S. Eusemond (si tamen ipse *Examinis Religionis Christianæ* est Auctor; quisquis autem fuerit, ejusdem se declarat inimicum, atque certum incredulum & Libertinum) *æternæ allegoriæ sunt Prophetarum Oracula.* Vere mirabiles Libertinorum genios! Porphyrius Danielis librum negabat, Propheticum esse, quia nimis claro & historico futura describeret calamo. *Tanta enim (sunt verba Hieronymi in Præmiali Commentario in Daniele ad Pamachum & Marcellam) dictorum (Danielis) fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus (Porphyrio) non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita.* Et Libertini sæculi nostri clamant, atque reclamant: *Æternæ sunt allegoriæ Prophetarum dicta.* *He autem interpretationes allegoriæ, subjungit Auctor incredulus, prorsus nil probant, & solum ac unice ab allegorisante dependent ingenio.* Si ergo, allegoriæ æternæ sint Prophetarum dicta; obscura, & obscurissima sint eorum Oracula. In qua igitur lingua, quonam in stylo, & modo loquendi scribant

Prophetæ, ut eorum incredulam persuadeant mentem? In claro & historico? Non, ajunt, sic narrantur præterita, non autem futura. Igitur in obscuro, hoc est, Prophetico? Non, inquit, hæ sunt allegoriæ æternæ, quæ nihil probant, nilque persuadent, & ab interpretis genio, & eo, in quem ea detorquet, pendent sensu. Quis ergo est Author Prophetiarum & Oraculorum ipsorum? Quoque incredulus, si Prophetiæ ideam habet, respondebit, Deum esse, qui Oracula Prophetis inspirat, quia solum ejus oculus futura videre, & prædicere potest. Ergo Deus non est absolutissimus Dominus, annuntiare futura stylo & methodo, qui placuerit ipsi? & ea Prophetis, qui revelantis Divinitatis sunt organa, eo inspirare modo, quo voluerit ipse? Verum quid his ineptiis immoramur? in ipsa relata Prophetarum Oracula oculum præjudicii librum conjiciamus, & tenebrarum & allegoariarum tenebras mox disparere conspiciemus. Deus in Paradiso homini lapsò promittit Messiam, sed Oraculo generali: *Scmen mulieris conteret caput ejus.* Post aliquot Sæcula hunc Messiam ex femine Abrahami & Isaaci, Jacobi, non autem Esau, ex femine Judæ, non autem ceterorum fratrum dicit, esse nasciturum; *in semine vestro benedicentur omnes gentes terræ.* In benedictione Judæ revelat advenientis Messias tempus: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec venerit Messias.* Per Isaiam declarat, tunc hoc sceptrum esse auferendum, quando *conceperit Virgo & pepererit filium.* Per Michæam declarat, eum esse nasciturum in *Bethlehem.* Per Isaiam, esse *reclinandum in præsepio;*

per

per Balaam prædixit, *esse stellam orituram in Jacob;* & per Isaiam ac Psalten, *in ejus lumine venire Reges ex Arabia, ut adorent & offerant munera, aurum, thus & Myrrham;* per Jeremiam, *ploraturam Rachaelem filios,* quæ erant victimæ Tyranni, scil. Herodis &c. Quæso quid hic obscuri? quid hic allegorici?

IV. Verum, si ita, replicat incredulus noster, *si clara sunt Prophetiæ, certo certius Hebræi, harum Depostearii conversi fuissent, si eas adimpletas vidissent.* Et ea propter respondeo ego, quia has adimpletas (Nonne viderant & sese vidisse declararunt, cum Hierosolyma turbata dicerent Pontifices & Scribæ, *in Bethlehem Judæ nasciturum esse Messiam?*) quia igitur, inquam, viderunt, & non crediderunt, adducta Prophetiarum Oracula non solum declaro Divina, sed & ad literam adimpleta, sic me Divina jubent concludere Oracula: (a) *Et dixit Dominus: vade & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere, & videre visionem, & nolite cognoscere: Exceca cor populi hujus, & aures ejus aggravæ, & oculos ejus claude. ne forte videat oculis suis: & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanctum eum.* Et dixi usquequo Domine: Et dixit: *Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.* Sed quinam possibile est, populum oculis videntem, & auribus audientem ita excæcari, atque surdescere? Ecce solutum ænigma: Expectabant Hebræi carnales Messiam, in quo resplende-

D 3

derent

(a) sai. C. V. 9. & sequ.

derent Majestas, divitiæ, robur atque triumphus. Hoc terreno & carnali imbuti typho, cum legerent & tenerent in manu Prophetas, & viderent Christum in paupere Bethlehem nudum, pauperem & humilem natum, nec cognoscebant, nec respiciebant eum. Et quia Deus prædixit hoc ipsis Libertinis incredibile phenomenon, hinc etiam de veritate prioris plenissime convincor. Utinam hanc lectionem pro Judæis, carnales quoque sibi notarent Libertini, qui & Hebræorum & Christianorum Oracula audientes & videntes, nec audire nec videre volunt. Utinam, inquam, Isaïæ Oraculum in ipsis, ut in Judæis, non adimpleatur,

§. II.

Refellitur Roussoji argumentum de Peccato Originali.

I. **E**xpectatio Messæ, inquiunt Libertini, præsupponit Adami lapsum, & posterorum interitum; imo ex ipsa in lapsos Parentes sententia Redemptoris adpromissi adventum probare molimini; quid autem? Si hoc ipsum Adami peccatum & sanæ rationi, & istius prætensæ poenæ Divinis contradicunt perfectionibus? *Mandatum*, ait Rousseau, (a) *quod transgressus est Adam potius videtur monitum paternum, quam præceptum passivum a fructu mortifero abstinendi. Sane hæc idea Bonitatis Divinæ, & ipsi Genesios textui conformior est. Et tamen, juxta Theologos, præ quam horribilis poena! Dam-*

(a) Letter I. de la Montagn. p. 22. 23.

nari cum integra posteritate sua ad mortem in hoc, & ad flammam æternam in altero sæculo; cum tamen peccatum Adami, secundum omnes circumstantias suas consideratum, non nisi levam deprehendamus fuisse culpam.

II. Ubinam Rousseau, ejusque Sequaces in textu Genesios solum paternum reperiant monitum, non invenio. Tum in Hebraico, tum in Versionibus cunctis sic lego: (a) *Præcepitque ei dicens. . . de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc præceptum ipse quoque falsus est serpens: (b) *cur præcepit, aiebat, vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Falsa est & Eva: (c) Præcepit nobis Deus, ne comedamus.* Hoc & Deus in sententia, quam tulit in Adam, repetiit, inquit: (d) *quia . . . comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: & tamen ait Rousseau, paternum monitum conformius esse textui, quam præceptum? An autem conformius sit Bonitati Divinæ ex eo colligamus, si levis aut gravis fuit Adami transgressio. Potuitne Creator creaturæ suæ legem præscribere, ejusque observantiam sub mortis tum temporalis, tum æternæ exigere? Creatorem legem dare potuisse, & creaturam obedientiam præstare debuisse, non erit, qui neget. Primum & quasi unicum Mandatum, quod Creator Progenitoribus nostris dederat, erat illud, ut abstinerent a fructu vetito. Ingrati & inobedientes pa-*

D 4

rentes

(a) Genes. II. 16. (b) ibid. III. 1. (c) ibid. 3. (d) ibid. 17.

rentes, quasi eodem in momento, in quo tanta a Creatore acceperant beneficia: scil. Creationem ex nihilo; & quidem ad imaginem suam: Excellentiam & prærogativam super animalia cuncta terræ, animam rationalem & libertate donatam, naturam innocentem tot donis naturalibus ornatam & elevatam; Hortum & habitationem tot deliciis abundantem, privilegium immortalitatis, & tandem beatitudinis æternæ. Et transgressio mandati adeo facilis, & facillimi, inobedientia, rebellio, & ingratitude tam atra levis sit culpa? aut poena mortis temporalis & æternæ, iustissima comminatione intentata, sit culpæ & Bonitati Divinæ difformis? Eset forsitan, juxta nostrum vilissimum concipiendi modum, nisi Divina ipsius misericordia liberrimo & perversissimo Parentum lapsui præsentissimum & abundantissimum decrevisset remedium; & hoc ipsum est, de quo loquimur, Incarnationis mysterium. *Lex autem, ait Apostolus, (a) subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum, in ipsa mortis sententia adpromissum. Cum autem benignitas & humanitas, ait idem Apostolus (b) apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam Misericordiam salvos nos fecit.* Hæc ergo est bonitas nostri Dei, lapsum redimere, non autem lapsum non secundum justitiæ rigorem plectere atque punire.

III.

(a) Ad Rom. v. 20. 21 (b) Ad Titum III. 4. 5.

III. Sed hoc est, quod nec concipi; nec cogitari potest; Deum ad redimendum ingratum & rebellem hominem suum proprium in mortem dedisse filium. Sane facilius habuisset lapsus remedium, si ex infinita potentia sua impedivisset lapsum & culpam; vel tenim non potuit, vel noluit? Si potuit, quare non fecit? si noluit ubi bonitas? Respondimus equidem huic miserò Libertinorum effugio in Libro priori; & respondebimus alibi pressius ac luculentius, ne tamen prætensam hanc difficultatem præterisse dicamur, respondemus, utique Deus potuit; sicut hodie, si vellet, omnem posset impedire culpam & lapsum; sed ubi tunc liberum hominis esset arbitrium? si homo Dei præceptum transgredi non potuisset, ad quid igitur præceptum? si hominis lapsus in culpam & poenam ei verti non posset, aut brutum aut saxum homo esse deberet; Tunc autem non solum præceptum, sed & ipsum paternum monitum frustraneum fuisset, sicut & omnis Religio naturalis, quam tamen ipsi Libertini, saltem ex schola Rousseji, necessariam esse contendunt; ipso docente Magistro: (a) *Si homo sua abutitur libertate, nequaquam Divinæ imputari potest providentiæ; Nequaquam pariter Divinæ difforme est bonitati, si Deus permittit, primum peccare hominem, & suæ justitiæ det locum, ut peccatum inobedientiæ gravissimum gravissima plectatur poena; quod si aut non puniisset, aut leviter multaasset, ergo vel juri supremo in creaturam peccantem, vel justitiæ in plectendum peccatorem derogasset.*

IV.

(a) Emile T. III. p. 73.

IV. Sit ergo, ajunt increduli, portarint Adam & Eva, transgressionis rei, & temporalem & mortem æternam; verum hanc in infantes extendere posteros & Rationi & Bonitati Divinæ prorsus est difforme. Ergone, respondeant Libertini, ergone rationi, clementiæ & æquitati Principis difforme, si rebellem vasallum suosque posteros nobilitate exuit, privat bonis & feudis, solo æquat palatia & domos, & simul familiæ nomen extinguit, & adeo quidem, ut ejus descendentes filii, nepotes, & pronepotes nascantur ignobiles, pauperes, & exules. Quid autem peccatum vasalli contra Principem in comparatione peccati Capitis universi humani generis erga supremum universi Rectorem & Creatorem? Quid jus violatum aut Majestas læsa Principis terreni a subdito privato & particulari erga jus & Majestatem supremam læsam a Primigenio imo ingenito naturæ humanæ Parente? Sed dicamus, ut Libertini ex simili argumentorum cumulo probare conantur, si Adam non peccavit, si filius ejus in has pœnas ob peccati gravitatem prolapsus non fuit, ergo conditus est talis, qualem ipsum hodie comperimus. Ast, nunc dicant & nobis, estne Bonitati Divinæ conforme, hominem condidisse adeo contradictorium sibi, qualis nunc est? *Homo sine peccato originali ejusque pœna insolubile foret ænigma, nec unquam se ipsum cognoscere posset*, ait laudatissimus Pascal (a) Aut non & aliis Philosophis antiquis tam incomprehensibile ænigma visus est homo? videbant & sentiebant passionis cum ratione conflictum, sed ejus ori-

(a) Pensées sur la Religion, C. III.

ginem non capientes in paradoxas abiere sententias: (a) *Hominem duas habere animas*; aut animam in altero mundo ream in reatus pœnam humano corporis inclusam ergastulo; (b) & quæ sunt alia hujus generis deliria, ut alibi diximus; Quid autem hisce diutius immoramur, cum Libertinorum Antesignanus Voltaire aperte confiteatur, omnium malorum originem a eunctis terræ populis lapsum Adami habitum & agnitum fuisse: *Conceditur*, ait, (c) *lapsum hominis degeneris esse fundamentum Theologiæ omnium antiquarum nationum*. Sed sequamur Divinæ Revelationis lumen, teramus viam in Moysis Historia monstratam, & ecce lucem in tenebrarum medio; Adami culpa & pœna in posteros propagata nobis Divinæ justitiæ, sicut promissus in Paradiso & natus in Bethlehem Messias & Redemptor Bonitatis æternæ, explanat mysteria,

§. III.

Alterum Rousssoji contra Messia venturi Prophetiam argumentum refellitur.

I. *Q*uoniam alia, ajunt increduli, fuit Judæorum de Christi adventu persuasio, ac ea, quam Christiana docet Religio. Hæc enim vult, Christum sive Messiam in carne adparentem, esse verum, unigenitum & consubstantialem Dei Filium; verum Hebræis non alius, nisi unus cognitus erat Deus, unus in essentia, &

unus

(a) ibid. (b) Vid. Plat. in Critia & Alcib. & Cic. de Republ. L. 3. (c) de la Philosophie de l' Hinoire.

unus in Persona; nullibi etenim de Trinitatis Myfterio, quod Christiani adorant, in veteri Lege ulla mentio aut revelatio reperitur. Est igitur, inferunt Libertini, hic Messias, qui ut Filius Dei generis humani laudatur & creditur Redemptor, recens Christianæ Religionis inventum, & nequaquam ejus adventus ex Prophetiis veteris Legis deduci aut persuaderi potest. Rossojum in Advocatum vocant, qui ait: (a) *Hæc cultuum* (scil. Hebræi & Christiani) *diversitas a Phantasis Revelationum dependet: Ab eo tempore, quo hominibus credere placuit, locutum esse Deum, quilibet Deum suo modo, & id, quod voluit, loquentem fecit. Si autem homo non alteri auscultasset, quam ei, quod Deus ad cor hominis loquitur, nonnisi una sola super terram regnasset Religio.* Hoc est sola Religio naturalis, cujus Patroni sunt Rousseau, ceterique Libertini; quæ de Trinitate, Deique Filio, & Spiritu Sancto, omnem refugit doctrinam & fidem.

II. In Prophetiis V. L. Messiam venturum verum Deum, & Filium Altissimi esse expressum atque prænuntiatum, nemo, qui legit Scripturas, negare potest. Isaias verbis jamjam allatis vocat ipsum Deum, vocat *Emmanuel*, sive *Deum nobiscum*; promittit, *Deum ipsum esse venturum ut liberet nos*; Deum, ait Osee, *filium suum esse vocaturum ex Aegypto*; & quæ sunt alia veritatis hujus testimonia, quæ passim apud omnes Theologos reperire licet. Quod autem SS. Trinitatis mysterium in Veteri Lege non verbis claris & explicatis fuerit revelatum,

(a) Emilie Tom. III. p. 123.

tum, lubentes cedimus; Carnalis enim & sensualis Hebraicus populus, continuo in Idololatriam inclinans, facile tres natura & essentia distinctos credidisset Deos, si eos in Moyse aut Prophetarum libris legisset expressos; Christianæ igitur Religioni, & ipsi in terras venienti & homini loquenti Dei Filio Mysterii hujus clara & explicita prædicatio reservata fuit; quam & claris adeo verbis non solum toties Dei Filius, sed & ipse Pater de cælo loquens, & Spiritus S. in Christi Baptismate in columbæ, ac in die Pentecostes in linguarum specie delapsus docuit & revelavit. Hoc autem Rossojus, ejusque discipuli dicere non possunt, nec implicite & obscure sacratissimum hoc Mysterium in Libris V. L. fuisse revelatum atque expressum, sicut in figuris & umbris totum Messie & Redemptoris Dei-Hominis mysterium edocti fuerit Hebræi. Ad confutandam & confundendam eorum incredulitatem pauca veritatis hujus liceat adstruere testimonia.

III. Variis in locis sanctissimum Dei Nomen ponitur in numero plurali & copulatur cum verbo in numero singulari. Videantur loca ad marginem citata. (a) Jam edisserant nobis, in quem finem utitur Scriptura enuntiatione tali, nisi ut per verbi singularitatem exprimeret Divinæ essentia Unitatem, per nominis vero pluralitatem Personarum Trinitatem; Minime etenim hic scribendi modus Hebraicæ linguæ est proprius, cum

(a) Gen. C. I. I. Deuteron. v. Jos. XXIV. Job. XXXV. Psalm. VIII. & alibi.

in aliis locis tum eodem nomine utatur in singulari, & co-
puletur cum verbo in persona singulari. Imo anti-
quus Rabbini commentarium scribens in prima Gene-
seos verba *Bará Elohim*, quæ in lingua latina sic exprimi
deberent: *Dii creavit*, aperte ait, similem scribendi mo-
dum in lingua Hebraica nequaquam licere, nisi constan-
ter sic scriptum inveniretur. Quare Deus ipse in nu-
mero plurali sese exprimere solet? (a) *Faciamus*, in-
quit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: &
rursus: (b) *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*.
Colligitur quoque Pluralitas personarum in illis locis,
ubi nomen *Tetragrammaton* in eadem enuntiatione di-
versis tribuitur Personis, cum tamen sit nomen in com-
municabile alteri, nisi soli Deo, v. g. (c) *Igitur Do-
minus pluit super Sodomam & Gomorrhæam sulphur & ignem
a Domino de celo*. Et in Psalmo: (d) *Dixit Dominus
Domino meo, sede a dextris meis*; quo usus est Christus,
ut demonstraret Judæis, se esse verum Dei consubstan-
tiale Filium: (e) In ambobus etenim textibus vox *Do-
mini* exprimitur per vocem *Jehovah*, licet distinctis tri-
buatur Personis. Sic & apud Zachariam vox eadem re-
plicata legitur distinctis tributa Personis: (f) *Et cogno-
scetis, quia Dominus exercituum misit me; Lauda & læ-
tare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio
tui, ait Dominus*. Alius enim debet esse, qui mittit,
& alius, qui venit, uterque autem exprimitur per *Je-
hovah*; quis igitur missus, qui venit, nisi *Filius Dei Al-*

tissimi

(a) Gen. I. 26. (b) Gen. III. 22. (c) ibid. XIX. 24.
(d) Psal. CIX. 1. (e) Marth. XXII. 43. & 44. (f) Zach.
II. 9. 10.

tissimi? Sic & de Spiritu Sancto five tertia in Trinitate
Persona hinc inde in Veteri Lege reperimus testimonia:
(a) v. g. *Spiritus Dei ferebatur super aquas* Et apud
Isaiam: (b) *Spiritus Domiei super me*: Quos textus cele-
bres antiqui Rabbini Rab. Manasses & Rab. Salomon
interpretantes, inquit: (c) *primus de Spiritu Messie,*
alter de Spiritu oris ejus, qui est Deus sanctus & benedi-
ctus intelligi debent. Denique in diversis Scripturæ lo-
cis, ubi aut Dei laus, aut Dei invocatio, aut Dei bere-
dictio in Scriptura exprimitur, solius, unius & veri D. i
nomen in eodem exprimitur tribus vicibus, (d) non alia,
ajunt interpretes, de causa, quam quod *ille qui solus &
unus est Deus, quoque trinus est in Personis*. Sunt & alia,
quæ Libertini contra incomprehensibilitatem mysterii
hujus opponunt, & inde evincere conantur, illud *non
modo supra, sed & contra sanam rationem* defendi. Ve-
rum eorum sophismatibus in Libro priori abunde ob-
viavimus, ad illud igitur non absurdum eorum sophisma
progreduamur.

§. IV.

*Libertinorum sophisma contra Incarnatio-
nem Verbi disjicitur.*

I. *S*it ergo Deus in Personis trinus, habeat Pater
Filium; qua autem sana ratione intelligi
aut

(a) Gen. I. 2. (b) Isai. LXI. 1. (c) Apud Stan-
hop. Defens. de la Religion p. 2. Sect. 13. (d) Numer. VI.
24. 25. 26. Psalm. LXVI. 1. 8. Isai. VI. 3. Daniel. IX. 24.

aut comprehendi potest, regerunt Libertini, hunc Filium, qui Deus est, posse ab homine concipi, incarnari & nasci homo? Impossibile est, infinitum uniri finito, spiritum fieri carnem, Deum fieri hominem; Et ad quid factus esset homo, cum Deus offensam lapsi homini sine omnibus hisce ambagibus remittere potuisset? Sunt igitur Prophetiæ hanc incarnationem prænuntiantes *nil nisi Enthusiasmus Prophetarum*, qui totius fabulæ & prætensæ revelationis origo est, (a)

II. Tria sunt, quæ objicit incredulorum temeritas. Dicunt, incomprehensibile esse Incarnationis mysterium, & hinc sanæ rationi contrarium. Hanc Incarnationem a Prophetis esse prædictam, clarissimis verbis sola commonstrant Isaïæ Oracula, dicentis: (b) *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, DEUS, &c.* Legatur integre textus, & Lector incredulus convincetur, Prophetam loqui de parvulo, utique in carne nato, qui est Deus, eum omnia, quæ parvulo nato tribuit, non nisi Deo tribui queunt. Dicit demum Propheta: (c) *Verbum* (hæc Dei Filium) *misit Dominus in Jacob*, ut sciremus, ex qua progenie nasciturus esset hic filius, qui Deus, Verbum, sive Dei Filius est. Joannes Evangelista in principio Evangelii sui testatur, hoc Verbum, sive Filium Dei in terram descendisse, & factum esse carnem: (a)

(a) Examen de la Religion C. V. (b) Isaï. X. 6.
(c) ibid. v. 8.

(a) *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Ecce Prophetiam completam? Sed Deum fieri hominem, Verbum fieri carnem, sanæ rationi adversatur, reponunt Libertini. Docuimus in Libro primo, animam, substantiam merè spiritualement uniri corpori organico, per potentiam Dei omnipotentis, quin hoc mysterium, oculis nostris obvium, ratio humana capere & penetrare queat; quare ergo ideo, quia ratio non capit, omnipotentis Divinæ ejusque voluntati, quam de Incarnatione Verbi revelavit nobis, limites ponere audeamus? *Sicut anima rationalis*, ait S. Athanasius, *aut quisquis demum Symboli hujus sit Author, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Sicut ergo anima spiritualis potest uniri corpori, & unum efficere hominem, & per corpus organicum ceu instrumentum anima potest producere actiones humanas, sic Deus Divinam suam naturam potest unire cum homine, qui est corpus & anima; quin tamen natura infinita confunderetur cum finita, sed solum naturam humanam uniendo Divinæ personæ, ita ut fiat persona, sicut caro & anima unus fit homo, & ipse homo fit organum & instrumentum operationum Theandricarum, quin fiat confusio, in quo hæc unio recedit ab unione animæ cum corpore. Ubi una est natura & operatio, in Christo vero duæ sunt naturæ, duæ voluntates, & duæ operationes. Igitur vel ostendant Libertini impossibilitatem & contradictionem in unione animæ

E

(a) Joan. I. 14.

mæ cum corpore, & cum hoc nequeant, ut ostensum est, pariter consiteantur unionem hypostaticam Verbi Divini cum homine ex corpore & anima consistente, five cum natura humana perfecta indivisibiliter in Divina persona subsistente.

III. Sed ad quid, erat tertium, quod Libertini corripiebant, ad quid, *Deum*, five *Verbum* fieri carnem? Respondet Scriptura hominem lapsum Deo offenso ex æquo, justo & condigno satisfacere non potuisse, igitur *Verbum* ex infallibili hominis lapsi amore carnem adsumpsisse, ut in rigore justitiæ Deo satisfaceret offenso. Factus est igitur *Mediator*, ut hominem reum & saucium reconciliaret, atque sanaret; Factus *Magister*, ut ignorantias nostras dispelleret, & nos doceret scientiam vitæ æternæ. Jamjam audivimus, ipso Libertinissimo Voltairo teste, ipsam omnium nationum antiquarum Theologiam docuisse, lapsum hominis degeneris atque corrupti omnium malorum esse originem, (a) hominem vero talem esse Dei inimicum, proinde indigere *Mediatore*, qui reconciliet, *Medico*, qui sanet, & mala in bona æterna convertat. Et ecce revelat nobis misericordissimus Deus per Prophetas, hunc Messiam, hunc Redemptorem esse venturum; ipsum hunc esse Dei Filium & Verbum suum in carne humana nasciturum; omnia revelavit nobis signa, ex quibus ejus adventum & nativitatem in carne colligeremus; hæc signa videamus in *Jesu Christo in Bethlehem nato* adimpleta; credimus

(a) Pensées sur la Relig. II.

dimus igitur, imo scimus, ipsum esse adpromissum Messiam & Redemptorem, five *Verbum factum carnem*. *Aequalis est necessitatis*, ait laudatissimus Pascal, ut homo unum sicut alterum punctum credat & agnoscat. *Aequè enim homini nocivum, Deum cognoscere sine sua propria miseria, & propriam agnoscere miseriam sine Redemptore, qui possit sanare.* *Cognitionum harum una sola Philosophia facit superbos, qui cognoverunt Deum, quin suum agnoscerent mysterium; aut Atheos desperatos, qui cognoscerent suam miseriam, sed nollent agnoscere Redemptorem.* *Sicut igitur aequè necessarium est homini, hæc duo cognoscere puncta, sic Divinæ conveniebat misericordiæ, ea revelare.* *Hoc præstat Christiana Religio (scilicet dum prædiceret adventum per Prophetas, & ostenderet nativitatem Redemptoris in Christo; cum Christiana, ut diximus, & Hebraica sint eadem Religio) & hoc est, in quo consistit ipsa.*

IV. Sed quid sunt illæ Prophetiæ antiquæ, ait Libertinus? suntne Dei verbum revelantis? Absit (a) *Enthusiasmus Prophetarum est mere humanus, & prorsus illi antiquorum Paganorum, & Fœminarum super Tripodem furentium similis.* Sed & huic imposturæ respondit jam Pascal: (b) *Si unus homo solus scripsisset Librum Prophetiarum de Jesu Christo, tum quoad tempus, tum quoad modum, & quodsi Jesus Christus conformiter hisce Prophetis advenisset, sane hoc infiniti esset roboris.* *Hic autem est series hominum, qui per decursum quatuor millium annorum,*

(a) Examen de la Relig. Chap. VII. n. 10. (b) Pensées XV.

rum, unus post alterum, comparent, & constanter, ac sine
 omni variatione eundem prænuntiant adventum. Integer
 est populus, qui idem annuntiat, & per quatuor annorum
 millia subsistit, ut de illis, quas accepit, veritatibus unani-
 me testimonium reddat, & a quibus nec per comminatio-
 nes ac persecutiones quascunque avelli potuit. Hoc factum
 est longe majoris considerationis ac roboris. Hactenus Pa-
 scal. Sane amentem esse oportet, qui Prophetias tam
 universales, tam continuas & constantes, tam literaliter
 adimpletas Enthufiasmum & Fanatismum conviciari
 præsumit.

S. V.

*Libertinorum contra Christum ex illibata
 Virgine natum ex Judæorum fabulis depromptum
 exploditur delirium.*

I. **L**onge diversa est, quam Judæi de Christo re-
 ferunt, quam ea, quæ in Evangelio de ip-
 so scribitur, Historia. Sic nobis enarrat liber *Sepher
 toldos Jeshu*, h. e. *Liber generationis Jeshu*. “ Anno
 “ mundi 3671. sub imperio Jannæi erat in Bethlehem,
 “ qui vocabatur Pandera, homo dissolutus & malignus.
 “ Capiebatur amore cujusdam virginis, quæ erat netrix,
 “ *Miriam* dicta; h. e. *Maria*, quæ erat promissa *Jochan-*
 “ *nam*. Pandera introductus in cameram *Mariæ*, quæ
 “ credebat, esse *Jochanam* sponsum, defloravit eam.
 “ Cum igitur gravida esset, sponfus rubore suffusus su-
 “ git

“ git in Babyloniam. *Maria* peperit filium, & dedit
 “ illi nomen *Jeorchun*, h. e. *Jesus*. Cum infans eam
 “ attigisset ætatem, ut instrui posset, Mater dedit ipsi
 “ Magistrum, qui vocabatur *Elehanan*, sub quo mul-
 “ tum profecit, cum præcellenti dotatus esset ingenio.
 “ Cum quis appropriasset Senatoribus *Synedrii*, moris
 “ erat, ut caput detegeret, corpus incurvaret, & genua
 “ flecteret, ad honorandum eos. *Jesus* recusabat, ip-
 “ sis talem exhibere respectum; igitur petulantia juve-
 “ nis offensi, in ejus nativitatem inquirentes, eum con-
 “ taminatum reperiebant, propterea ad sonitum tre-
 “ centarum tubarum divulgari jusserunt, *Jesum* esse ex
 “ adulterio natum, esse conceptum infami libidine,
 “ igitur non posse esse membrum sanctæ nationis, &
 “ ipsius nomen atque memoriam in perpetuum abole-
 “ ri debere. *Jeshus* se ita diffamatum videns, in altam
 “ *Galilæam* fugit, & ibi per plures annos mora-
 “ batur. Sed cum & in *Galilæa* infamia natali-
 “ um *Jeshu* innotesceret, fugit inde, & furtim *Hie-*
 “ *rosolymam* venit. Intravit templum, & Nomen in-
 “ effabile Dei didicit. Scripserat nomen in pergamena,
 “ & illud pronuntians, ne dolorem sentiret, carnem
 “ dissecuit, & in vulnere pergamenam abscondit; &
 “ pronuntians nomen, plagam sanavit. Oportet *Jeshu*
 “ arte magica usum fuisse, ut Sancta Sanctorum in-
 “ traret; quomodo enim Sacerdotes locum tam Sacro-
 “ Sanctum intrare permisissent? Certum igitur est,
 “ *Dæmonis* succursu *Jeshu* talia perpetrasse. Cum
 “ exiret ex urbe *Hierosolymorum* vulnus sanatum ape-
 “ peruit,

“ peruit, pergamenam extraxit, & ad perfectionem No-
 “ men ineffabile addidit. Mox in locum nativitatis
 “ Bethlehem se contulit; ubi sunt, ajebat, incolæ ci-
 “ vilitatis hujus, qui me ex adulterio natum criminan-
 “ tur? Mater mea me peperit, quin virginitatem amit-
 “ teret. Ego sum Filius Dei: Ego mundum creavi:
 “ De me locutus est Isaias, cum diceret: Ecce virgo
 “ concipiet &c. „ *Historiæ, vel potius fabulæ hujus con-*
textum in sequentibus capitibus proclabimus. Hæc est i-
 la virgo, ajunt Libertini, ex qua Christiani Jesum na-
 tum esse commendant. Potius enim in hoc Historiæ
 Judæis, quam Christianis credendum est.

II. Mirabile dictu, Libertini, qui populum He-
 bræum, Voltairio Duce, rudem, simplicem, & fana-
 ticum, nulliusque considerationis nationem compellant;
 ejus Legislatorem impostorem, ejus Prophetas Enthusi-
 astes, eorumque Scriptores Idiotas derident; nunc,
 cum fabulam mendacissimam de Christi nativitate con-
 fingunt, & in lucem proferunt, non erubescunt, eo-
 rum ineptias & levissimas puerilitates & scurilitates mun-
 do literato ceu Historiam imponere. Quæso, Heroes
 illi, qui vel ad folius Magiæ nomen in cachinos dissol-
 vuntur, & in Tetragrammati sive *Nominis ineffabilis*
Dei pronuntiati miracula nares corrugant, nunc cum
 contra Religionem Christianam similes fabulæ obtru-
 duntur, applaudunt, objiciunt, & exultant. Aut ovum
 ovo, ut hæc Judæorum fabula fabulæ insipidæ, similius?
 Recentior quidam Libertinus, ut fabulæ quandam spe-
 ciem

ciem verisimilitudinis, aut potius impudentioris men-
 daci adspargeret, fabulatur vel potius blasphematur in
 hunc modum: Virginem Mariam ad Josephi affatum
 trepidasse, sed ipsum se Angelum aut Numen finxisse,
 & sub Deitatis larva Virginem corrupisse, & jusse, ut
 dicat, se Virginem Dei Filium concepisse. Pudet, his
 insolentis, mendaciis & blasphemis respondere. So-
 lum legisse fabulam, eam refutasse est; *trecentarum tu-*
barum sonitu adulterum Virginis filium declarare? Si hæc
 Judæorum & Synagogæ consuetudo fuerit, certe po-
 tius Synagogam, quam fabulæ textores deridendam cre-
 derem. Judæi enim sunt, qui modo in Sæculo XII.
 eam conscribere (prius etenim nec vola nec vestigium
 de hoc *Sepher toldos Jeschu*, ullius notitiæ aut memoriæ
 occurrit) Wagenfeilius eam primus in Germania in suo
 Opere *Tela ignea Sathana* inscripto, in lingua Hebraica
 in lucem dedit. In fabulæ contextu, in sequentibus
 continuando, quantis mendaciis, vel potius, quantis
 ipsa Judæorum testimoniis scateant, monstrabimus.
 Non igitur negant Judæi, Isaiam prophetasse, *Virginem*
parituram esse, atque ne, Mariam Virginem peperisse,
 fateri cogantur, tam insulsam fabulam fingunt.

III. Aliud Libertini a Judæis argumentum mutu-
 antur, ut Virginis partum ab Isaiâ prædictum & in B.
 M. V. adimpletum eludant. Hebræi alias textus Pro-
 phetici tenacissimi defensores, tamen cum partu Virgi-
 neo Mariæ a Christianis premerentur, non verebantur
 adferre, Isaiæ textum proprie *non Virginem, sed femi-*

nam parituram exprimere, cum vox *Ghalmah* hic loci ab Isaia usitata, non Virginem proprie, sed puellam juvenem, sive Virginem, sive non, exprimeret; Siquidem Hebræi *ad virginem* exprimendam voce *Betulah* uterentur. Libertini Hebræorum dictis gaudentes, idem quod dicunt ipsi, nobis objiciunt. Qui hoc Hebræorum subterfugium pressius oclusum videre cupiunt, adeant Propositionem IX. Cl. Huetii. (a) Nos ad convincendos falsitatis Hebræos & Libertinos solum adferimus duos textus: In Capite I. *Joelis* sermo est de *Vidua*, & tamen exprimitur per vocem *Bethulah*; falsum est igitur, quod lingua Hebraica solum ad exprimendam Virginem voce *Betulah* utatur. In Capite sexto *Canticorum* narratur, (b) *Salomonem Regem habuisse Reginas sexaginta, concubinas octuaginta, adolescentulas vero sine numero.* Adolescentulæ istæ exprimuntur voce *Ghalamoth*, quæ est vox pluralis vocis *Ghalmah*. Nemo negabit has Adolescentulas virgines fuisse, alias enim fuissent vel inter Reginas, vel inter concubinas positæ; & tamen exprimuntur per vocem *Ghalmah*. Falsum est igitur vocem *Ghalmah* non virginem, sed puellam exprimere. Deinde, ut jam advertimus, quodnam esset portentum & signum, quod Deus per *Isaiam Achaz* promissit, si illa, quæ concepit & peperit, virgo non fuit?

IV. Indubitatum est, inquit nonnullus e coetu Libertinorum, Jesum Christum fuisse natum ex Maria
despon-

(a) Demonstrat. Evang: Prop. IX. (b) Cant. VI. 7.

desponsata viro, cui nomen erat *Joseph*; & pariter ex Evangelio constat, Jesum semper a gente Hebræica *reputatum fuisse filium Joseph*. Igitur vel Christus debuisset hunc Judæorum errorem corrigere, ipsosque docere, se vere ex Maria Virgine, non autem *ex femina desponsata viro* fuisse natum, & falso se *reputari filium Joseph*; vel Judæi culpandi non veniunt, quod ipsum non crediderint, aut non suspexerint ut suum Messiam; quia hic erat unus e principalibus Messia characteribus, ut esset, & crederetur natus ex Virgine; cum autem Christum hunc characterem contra Judæos nec prætendisse, nec probasse, ullibi legimus, igitur vel ex Virgine natus non fuit, aut si fuit, excusandi sunt Judæi, quia eorum opinioni, ipsum fuisse filium Joseph & Mariæ conjugum, nunquam legatur contradixisse.

V. Primus & essentialis, ut ita dicam, Messia character erat ille, ut esset Filius Dei, & unus cum Patre natura & essentia Deus; hic character cum esset semel probatus & demonstratus in Jesu Christo, ceteri inde fluebant omnes; & non erat Jesu Christi, ut se distincte probaret ex Virgine natum; sed cum Judæi vidissent, ipsum talia facere opera, quæ nonnisi Deus operari potuit, ipsorum fuisset, in ceteros Messia inquirere characteres, & audivissent, & Jesus, si necesse fuisset, ipsis miraculo comprbasset, se esse ex Virgine natum. Verum ubinam legit Libertinus iste, unquam de Virgineo partu Judæos sermonem, aut dubium formasse? Ad quid ergo se probaret ex Virgine natum?

Nole-

Nolebant credere ipsum esse Messiam, ipsum esse Filium Dei, licet opera viderent, & quia non credebant Deum, putabant esse filium Joseph, & tunc fors putare potuissent, si opera necdum vidissent; sed cum viderant, Deum debuissent credere, & sic agnovissent ipsum non debere filium Joseph, sed Virginis haberi.

VI. Sed quomodo instat Libertinus, Deum credere poterant, cum nunquam Jesus Christus Deum compellasset, imo clare & aperte declarasset, se non esse Deum; *Patrem esse majorem se, & se ignorare, quod Pater solus sciret.* Et quid tunc? si Scriptura, cum Filium Dei compellat, cum justos Filios Dei, impios vero filios Belial compellare soleat; aut quando unquam Christus protestatus fuit, sese suam Miraculis Divinitatem comprobare.

VII. Licet Jesus Christus non verbis formalibus se compellaverit Deum, certum tamen est, æquivalentibus sibi tribuisse potentiam; virtutem, naturam, & honorem Dei Patris sui. (a) *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Christum se hoc responso æqualem fecisse Patri in natura & principio, ita & potentia & operatione, etiam ipsi Judæi intelligebant. *Propterea ergo magis querebant eum Judæi interficere, . . . quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Negatne propterea Christus, se esse Deum aut æqualem Deo? Minime, sed probat atque confirmat; legat in-

(a) JOAN. V. 17. 18:

cre-

credulus citatum Joannis locum. Pariter se dicit æqualem Patri, cum summo Sacerdoti interroganti; (a) *Tu es Christus Filius Dei Benedicti?* respondit: *Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem a Dextris virtutis Dei.* Quid autem sedere ad Dextram Dei, quam æqualem esse Deo? Nonne dixit: (b) *Ego & Pater unum sumus.* Quærit atque petit eundem cum Patre honorem: *ut omnes honorificent Filium; sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* Et cum se dicit *Filium Dei, & unicum Filium Dei*, nonne se dicit eundem Natura Deum, aut Deus duas naturas habet? Scidissetne summus Sacerdos vestimenta sua, & blasphemiam dixisset confessionem Christi, si aliter intellexisset? Verum est, in Scriptura vocantur justii *Filii Dei*, & impii *filius Belial*, sed ubi justus vocatus est *Filius Dei, filius unicus Dei, cui Angelorum*, quærit Apostolus, *dixit unquam: Filius meus es tu?* Filii vocantur justii, quia adoptivi sunt, sed Jesus vocatur *Filius Dei*, quia naturalis est; & istud nomen incommunicabile est alteri. Si dicit, (c) *Pater major me est; (d) de die autem vel hora nemo scit, neque Angelus in celo, neque Filius, nisi Pater;* palpatur manibus, Jesum de humanitate loqui; Cum etenim Deus & homo est, profitetur se inæqualem Deo secundum humanitatem, sed confitetur se æqualem Deo secundum Divinitatem; scit omnia ut Deus, & quædam ignorat ut homo.

§. VI.

(a) Matth. XXVI. 63. sequ. (b) Joan. X. 30. (c) Joan. V. 25. (d) Ad Hebr. I. 5. (e) Joan. XIV. 28. (f) Matth. XXIV. 36.

S. VI

Libertinorum dubium, Jesum Christum non fuisse ex tribu Juda, dissolvitur.

I. **J**esus Christus, Evangelio teste, non ex Joseph, sed ex illibata Maria Virgine progenitus esse dicitur; sed Maria Virgo non fuit de tribu Juda, sed de tribu Levi, erat anim *cognata Elisabeth*, quæ, teste S. Luca, erat *de filiabus Aaron*; (a) id quod Ecclesiæ Patres affirmare videntur, qui adserunt, (b) Matthæum per Genealogiam suam probare, Jesum esse ortum ex stirpe Regum; S. Lucam vero probare per suam, Jesum descendisse de tribu Levi sive Sacerdotum; Id quod ex eo firmatur, quod S. Lucas ducat Genealogiam ex Nathan, qui fuit Sacerdos, & inde Genealogiam ceteram deducat usque ad Heli; cum ex adverso S. Matthæus Genealogiam suam deducat ex Jacob, qui fuit ex tribu Juda. Cum igitur Evangelium sibi ipsi contradicat, nil ex eo pro Jesu descendente *ex tribu Juda* probari potest.

II. Verum, undenam sequitur, quod ille, qui cum altero cognatus est, ex ejus necessario familia descendat? Sit ergo B. V. cognata Elisabeth, quæ erat *ex filiabus Aaron*, inde non sequitur, quoque Mariam fuisse ex filiabus Aaron. Consanguineus quidem Mariæ *ex tribu Juda de domo David* junctus erat matrimonio

Con-

(a) Lucæ I. 5. (b) S. August. de Conf. Evang. L. II. & Hilarius in Matth. C. I.

Consanguineæ Elisabeth ex tribu Levi, sive uni ex filiabus Aaron, & inde Maria erat facta cognata Elisabeth. Hoc esse non potest, clamat Libertinus, consanguinea Mariæ non poterat ducere aliam ac de tribu sua, quia sic cautum erat in Lege. (a) Recte ait Libertinus, si filia, quam quis ducere cupit, est Hæres bonorum paternorum; sed filia ex tribu Levi non potest dici hæres bonorum paternorum; quia Sacerdotes non habebant bona, sed de decimis Tribuum vivebant. Ea, quæ ex SS. PP. adducuntur, nobis minime obsistunt; bene enim noverant Augustinus & Hilarius, Jesum Christum non fuisse ex familia Sacerdotum Aaron progenitum; sed esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; & ambo adfirmant, Jesum ex Familia David, & tribu Juda, non autem ex tribu Levi, & Familia Aaron descendere.

III. Errant igitur illi quam maxime, qui contendunt, S. Lucam Jesu Christi Genealogiam ex *Nathan Sacerdote* deducere; hic enim Nathan erat frater Salomonis & filius David ex Bethsabee, ut jam adnotavimus; quod autem S. Lucas Genealogiam Joseph deducat ex Nathan usque ad Heli, S. Matthæus vero illam deducat ex Salomon usque ad Jacob, est causa, quia S. Matthæus ducit Genealogiam Jacobi, qui fuit Pater naturalis Josephi, hinc dicit, *Jacob genuit Joseph*; S. Lucas vero ducit Genealogiam Josephi ex Heli, qui fuit Legalis Pater Josephi. Mater enim S. Josephi duos duxerat Mari-


(a) Numer. XXXVI. 6. 7. 8.

Maritos scil. Heli, & cum iste moreretur, quin filium genuisset, ejus consanguineum Jacob juxta legem ducebat, quam viduam Julius Africanus Estham vocat, ut suscitaret semen fratris sui, & genuit Joseph, qui dicebatur filius Heli, scil. juxta legem adoptivus filius. S. Matthæus igitur describit Genealogiam Josephi per Patrem naturalem Jacob ex Salomone descendente; S. Lucas vero describit Genealogiam Josephi per patrem legalem Heli dictum, qui descenderat ex domo David per filium suum Nathan; & sic omnis contradictio & collisio Evangelistarum disparet, & indubitatum manet, Jesum ex B. V. Maria Sponsa S. Josephi non ex tribu Levi, sed ex tribu Juda progenitum esse. Sic & non aliter rem se habere, testatur Julianus Africanus, qui floruit ab initio tertii Sæculi, in Palæstina natus, ubi hanc veritatem ex illis didicit, qui erant Jesu Christi secundum carnem cognati, ut ait in sua Epistola ad Aristidem, quam Eusebius servavit. (a)



CA-

(a) Eusebius H. E. L. III. C. VI.



CAPUT SECUNDUM.

DEMONSTRATUR, JESUM CHRISTUM EVANGELIUM SUUM PRÆDICANTEM, ET MIRACULA PATRANTEM ESSE ADPROMISSUM MESSIAM.

¶ Vidimus in Jesu Christo in Bethlehem nato cuncta de Messia in carne venturi a Prophetis V. L. prædicta ad literam esse adimpleta; nunc, an & in ipso, quæ de ejus vita ab iisdem Prophetis prædicta fuerent, adimpleta sint, conspiciamus, semper magis magisque convincendi, ipsum esse adpromissum Messiam sive mundi Redemptorem. Cum autem ejus vitam disquirentes ipsum in ætate jam adulta contemplari oporteat, Imaginem ipsius tum a Christiano devotissimo; tum & a Libertino famosissimo, depictam Lectoris oculo proponemus; ut Magni Homini- hujus- Dei idea repletus, ea, quæ dicenda veniunt, animo attentiori excipiat.

IMA-

IMAGO JESU CHRISTI

*Penicillo Abbatis Bellet adumbrata.**

“ **A**b ipso hominis lapsi initio nobis adpromissus
 “ est Messias & Redemptor; & ab ætate in
 “ ætatem populi Promissionum Divinarum Depositarii,
 “ colores & picturæ, qui ipsum nobis annunciare &
 “ adumbrare debebant, sese adunaverunt. Pictura fi-
 “ nita, venit Jesus Christus, non potuit non homo
 “ agnoscere ipsum in imagine adeo exacta, sed a lon-
 “ go jam tempore delineata; Ita ut per Epochas adeo
 “ celebres & præfixos oculi mei continuo in ipsum de-
 “ fixi stupore & admiratione repleti, amplius radiis
 “ undequaque diffusis resistere non potuerint, quin agno-
 “ scerent eos omnes in hunc verum Justitiæ Solem ef-
 “ se concentricè unitos. Quod a principio mentem
 “ meam subiit, hoc in ipso verificatum intueor. Per-
 “ volvo vetus novumque Testamentum, & utriusque
 “ concordia, & finium unio, quæ regnat in ambobus
 “ meum ferit animum, solaturque. Primum Penicilli
 “ Moysis & Evangelistæ Joannis punctum me reddunt
 “ attentum; Eadem locutionis *Ενεγκετω*; iidem utrius-
 “ que colores: (a) *In principio creavit Deus cælum &*
 “ *terram.* (b) *In principio erat Verbum.* Equidem pri-
 “ mus, figuris onustus & umbris, nil nisi primam
 “ Ænigmatis vocem revelat, dicens, Deum per ver-
 “ bum

* Les Droite de la Religion Chretienne & Catholique
 sur le Coeur de l'homme de M. l'Abbé Bellet Tom. I. p. 60.
 & sequ. (a) Gen. I. I. (b) Joan. I. I.

“ bum suum creasse omnia: *Dixit & facta sunt; ve-*
 “ *rum alter, Tonitruum filius dictus, dirupit nubem, &*
 “ *dicens: omnia per ipsum, h. e. per Verbum consub-*
 “ *stantiale Patri, facta sunt, me docet veritatem & lu-*
 “ *cem. Ecce igitur Verbum æternum, quod forma-*
 “ *tioni mundi antiqui præsedet, & reformationi novæ*
 “ *De quacunque igitur parte Jesum Christum (in ter-*
 “ *ris natum & ambulanti) conspicio, in ipso vir-*
 “ *tutem Altissimi reperio. Ipse metipsa est virtus Dei.*
 “ Non solum per miraculorum multitudinem, quæ in
 “ vera vitæ suæ Historia aut repetuntur, aut variantur,
 “ testimonium reddit de ea, sed & ipse infinita faci-
 “ litate omnipotenti operatur miracula. In Majestuo-
 “ sa morum vitæque suæ simplicitate nec ullam depre-
 “ hendo fragilitatem aut debilitatem humanam: ubique
 “ sapientiæ infinitæ characteres. Quando os aperit,
 “ ut instruat populum vestigia præmentem, cum ipso
 “ populo extaticus exclamo: *Nunquam sic locutus est ho-*
 “ *mo, sicut hic homo.* (a) Quæ doctrina sublimior,
 “ sed minus fastuosa, ac sua? sentitur quasi, ne-
 “ cesse non esset, ut fatis eleveetur animus, ad expli-
 “ eandam altitudinem mysteriorum & arcanorum Dei,
 “ sed quod in splendoribus Sanctorum genitus absque
 “ commotione spiritus intueatur profunda Dei. Quæ
 “ differentia inter locutionem suam eamque Prophe-
 “ tarum? Hi fere continuo in extasi, quia veritates,
 “ quas ipsis visio cœlestis revelat, sunt novitates inco-
 “ gnitæ & admirabiles, & sicut eorum cogitationibus

F

(a) Joan. VII. 46.

* ita

" ita expressionibus superiores. Nobilis discursuum
 " tuorum simplicitas manifestat nobis, quod natus sit
 " in sinu mirabilium, quæ enarrat nobis; & quod ipse
 " fit Filius, cui nil absconditum in domo Patris. Of-
 " tendit, intueri, quam devastationem in homine fe-
 " cerit peccatum; & propterea in doctrinis moralibus
 " brevissima sed decisiva ad reparanda mala præscribit
 " remedia. Quam necessarium & utile animæ meæ
 " ministerium ipsius? Venit ad me, me vocat ad se,
 " sed non alia de causa, quam ut liberet me a ponde-
 " re miseriarum mearum, quam ut dispeuset mihi ve-
 " ros divitiarum suarum thesauros; quam ut doceat
 " me, excutere jugum passionum mearum. Et hæream
 " ad momentum, sequi vocem ipsius? Non occupatur
 " nisi bono meo; non quærit nisi beatitudinem meam.
 " Mihi offert veritatem suam, ut me conducat; bra-
 " chium suum, ut me sustentet; crucem suam, ut me
 " defendat; sanguinem suum, ut me purificet; merita
 " & vitam suam, ut mihi thronum æternæ gloriæ af-
 " securet. Quem alium Magistrum, ac Jesum Chri-
 " stum optare queo? si cælum me non moneret: *Ipsium*
 " *audite*, propriæ indigentæ meæ me compellerent
 " confugere ad ipsum. Ubi reperiam scientiam & sa-
 " pientiam necessariam mihi, nisi in schola Jesu Chri-
 " sti? Sapientes omnes, Doctores omnes in ejus præ-
 " sentia obmutescunt, & silent, quia ipse est Verbum
 " vitæ æternæ. Conspicio in ipso augustam unionem
 " Majestatis & Bonitatis, quæ me humiliat & exultat,
 " quæ me terret & consolatur. Si habet omnem Filii
 " Dei

" Dei Authoritatem, est quoque mansuetissimus om-
 " nium Filiorum hominum. „

Usque huc Jesu Christi in terris ambulantis ima-
 go; altera, quam pingit eruditissimus Author, est Jesu
 patientis & morientis; differimus igitur ad proximum
 Caput. Cum autem tenebræ luci oppositæ, lucem
 reddant clariorem, & splendidiorem, alteram Philoso-
 phi Libertini minime suspecti jungemus imaginem.

ALTERA IMAGO JESU CHRISTI

*Coloribus Roussoji expressa. **

Confiteor vobis, ait paradoxus Rousseau, quod Ma-
 jestas Scripture ætonitum me reddat; Sanctitas
 Evangelii loquitur cordi meo. Perpendite Philosophorum
 libros cum omni pompa sua, vah! quam exiles sunt in com-
 paratione ipsius! Estne possibile, librum tam sublimem &
 insimul tam simplicem esse hominum opus? Estne possibile,
 illum, cujus historiam scribit, esse hominem quoque? Estne
 loquela ista Enthusiasticis, aut ambitiosi Sectarii? Quæ suavi-
 tas, quæ puritas in moribus suis! Quæ gratiæ persuasive in
 instructionibus suis! Quæ sublimitas in doctrinis suis! Quæ
 sapientia in discursibus suis! Quæ spiritus presentia, quæ
 subtilitas in responsis suis! Quæ dominatio passionum suarum!
 Ubi est homo ille, ubi sapiens ille, qui scit ita agere, suf-
 ferre, & mori, sine debilitate, sine ostentatione? Cum Pla-
 to imaginarium suam pingeret justum, opprobriis criminum

F 2

* Emile. Tom. III. p. 134.

cooper-

coopertum, & tamen omni virtutum pretio dignum, de linea in lineam pinxit Jesum Christum. Similitudo est adeo perfecta & equalis, ut omnes consentirent Patres, quia impossibile, falli. Quæ præjudicia, quæ cæcitas, Filium Sophronisci assimilasse Mariæ Filio? Quæ distantia unius ab altero! Socrates moriens sine dolore, sine ignominia Personam Philosophi ad finem usque tolerabiliter sustinet; & se morte sua tam æquanimi non suam honorasset vitam, dubitari posset, an non cum omni ingenio suo fuisset alius, ac insignis Sophista. Invenit, de ipso dicitur, doctrinam moralem; & tamen alii ante ipsum eam redegerunt in praxin. Dixit, quæ fecerant alii, & quæ fecerunt, posuit in Exempla. Aristides justus fuerat, antequam diceret Socrates, quid justitia esset. Leonidas pro patria occubuit, antequam Socrates doceret, æquum esse pro patria mori. Sparta sobria fuit, antequam sobrietatem laudaret Socrates. Græcia florebat virtutibus, antequam desiniret virtutem Socrates. Verum enim vero ubi Jesus Christus poterat didicisse a suis moralem illam sublimem & puram, cujus ipse solus dedit lectiones & exempla (legatur discursus in Monte Matth. v.) Ex gremio furibundi Fanatismi loquitur sapientia altissima, & simplicitas summe Heroicarum virtutum vilissimum honorat populum. Usque huc pictura Jesu Christi viventis & docentis; pingit morientem quoque & patientem, sed ut diximus, ad sequens Caput differenda est. Quam admirabile pingit Jesum Philosophus iste, sed quantum degenerat pictura sua, cum tractu uno & solo, extinguit omnem, quem dedit ei, veritatis splendorem. Præmissa hac Imagine Jesu Christi

sti ad ipsum inspiciendum Originale a Prophetis adumbratum & in dierum plenitudine comparens accedamus.

SECTIO PRIMA.

OMNIA PROPHETARUM ORACULA DE MESSIA DOCENTE ET MIRACULA PATRANTE IN JESU CHRISTO SUNT ADIMPLETA.

§. I.

Oracula de Præcurfore Messie adimplentur in Joanne.

I. **M**essiam venturum Præcurforem quemdam præcedere debere, aperte testatur, & vaticinatur Malachias: (a) *Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam.* Et rursus: (b) *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini . . . Et convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.* Et quis erat iste Angelus & Elias Propheta preparans viam Domini? In quo adimpleta est hæc Prophetia? Audiamus Angelum Dei & Zachariam Sacerdotem & Prophetam. (c) *In diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias . . . cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum . . . ingressus in templum Domini, ut incensum imponeret*

F 3

(a) Malach. III. I. (b) ibid. IV. 5. 6. (c) Luca 1. 5. v. sequ.

ret . . . apparuit Angelus Domini . . . & Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum; ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem . . . Erit magnus coram Domino . . . & præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ; ut convertat corda Patrum in filios, &c. Et dicit Zacharias ad Angelum: unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis; Et respondens Angelus dixit ei: Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant . . . (a) Elisabeth autem impletum est, tempus pariendo, & peperit filium . . . Innucebant autem Patri ejus, quem vellet vocari eum; & postulans pugillarem scripsit; dicens: Joannes est nomen ejus. Apertum est autem illico os ejus & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum, . . . Et tu Puer Propheta Altissimi vocaberis; præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Hoc & testatus est ipse Jesus, cum cœpit de Joanne dicere ad turbas: (b) Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. In Joanne igitur adimpleta est Prophetia Malachiæ, & Angelo & Patre, & Jesu Christo teste.

II. Sed & videamus, quid de ipsa præparanda via prophetatum fuerit in V. L. Audivimus ex Malachia Propheta, quod conversurus sit cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres; & hoc idem prædixit Angelus: . . .

(a)

(a) Luca I, 57, & sequ. (b) Luca VII, 24, 27.

(a) Præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda &c. hoc & prophetavit Pater. (b) Ad dandam, inquit, scientiam plebi ejus, & remissionem peccatorum eorum &c. Clarius autem vaticinatus est Propheeta Isaias dicens: (c) Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas, & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Nunc videamus, quomodo & hæc Prophetarum Oracula ad literam in Joanne Præcurfore Domini adimpleta fuerint. (d) Anno autem quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam &c. narrat S. Evangelista Lucas, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto; Et venit in omnem Regionem Fordanis prædicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ Propheta: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini rectas facite semitas ejus &c. (e) Et videbit omnis caro salutare Dei. Quod autem egerit Præcurforem Christi sive Messiae, ut vaticinatum fuit, pariter ibi legimus: (f) Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte iste esset Christus, respondit, Joannes, dicens omnibus: Ego quidem baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.

F 4

(a) Ibid. I. 17. (b) ibid. I. 77. (c) Isai. XL 3. 4. 5. (d) Luca III. I. sequ. (e) ibid. v. 6. (f) ibid. 15, 16.

igni. Et iterum (a) Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait; Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est. . . . Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. . . . Et ego vidi; & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Quæ clariora adferri possent testimonia, in Joanne ad literam adimpleta fuisse Prophetarum Oracula, ipsumque fuisse, qui præcedere, & viam Domini h. e. Messie sive Christi præparare debuerat.

S. II.

Alia Prophetarum Oracula de Messie in Templo comparitione in Jesu Christo monstrantur impleta.

I. Malachias cum de Præcursoꝛe Messie vaticinatus esset, mox subjungit: (b) *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce veniet, dicit Dominus exercituum. Nemo dubitabit, hæc verba de Messia prædicta fuere; hic enim est Dominator ille, qui adpromissus erat; hic est ille, quem quærebant Judæi & suspirabant justii; hic denique est Angelus ille testamenti Patriarchis & Patribus promissus, quem volebant; Hoc idem vaticinatus jam fuerat alius Propheta, scil. Aggæus dicens: (c) *Et veniet desideratus cunctis gentibus,**

(a) Joan. I. 29, sequ. (b) Malach. III. 1. (c) Aggæi

II. 8.

& implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Et quisnam est iste desideratus cunctis gentibus, quam ille, de quo prophetaverat Jacob: (a) *Et ipse erit expectatio gentium,* adpromissus scil. ex femine Juda Messias. Ut autem hoc Oraculum ejusque adimpletionem in clariorem ponamus lucem, nosse oportet: Postquam reversi fuerant Hebræi ex captivitate Babylonica destructum reedificaverunt templum. Seniores, qui viderant templum Salomonis adeo angustum, novum vero adeo angustum, pauper & incultum, plangebant; tunc Aggæus inspiratus a Domino prophetavit, & consolatus est dicens: (b) *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus; & confortare Jesu fili Josedec Sacerdos magne & confortare omnis populus terre. . . . Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam: Et movebo omnes gentes: Et veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissime plus quam prima; dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Nunc dicant nobis Libertini, quare gloria hujus domus novissimæ major erit illa prima? Non per Fabricæ Majestatem, non per suppellectilis divitias, hæc enim erant, cur plangeret populus. Igitur ea de causa, quia in illo compariturus erat Desideratus omnibus gentibus, & quia in illa pacem æternam daturus erat.*

(a) Genes. XLIX. 10. (b) Aggæi cit. C. II. 4. & seq.

erat. Sed quis iste, nisi *Messias post modicum* venturus? sed quando venit, aut veniet? Hoc templum secundum jam a sæculis octodecim a Latinis destructum fuit, & Hebræi fugitivi reædificabunt nunquam; Ergo jam comparuit in templo isto, qui comparere debuerat; Et quis iste, qui gloria & pace complevit illud, & novum cum gentibus pacis fœdus in templo feriit, nisi *Jesus Christus*? Et quando intravit hoc templum, ut gloria, *Salomone* majori, compleverit illud? (a) *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt illum* (parentes) *in Jerusalem, ut sisterent eum Domino; & quanta intravit gloria? Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus, expectans consolationem Israel* (qui erat *Messias* venturus) *& Spiritus S. erat in eo; & responsum acceperat Simeon a Spiritu S., non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini; Et venit in spiritu in templum; & cum adducerent puerum Jesum parenses ejus . . . Et ipse accepit in ulnas suas, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace* (audis pacem in templo promissam?) *Quia viderunt oculi mei salutare tuum; (b) Et erat Anna Prophetissa . . . & hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptorem Israel. Ecce Messie gloriam in templo! (c) Et cum factus esset annorum duodecim ascendit cum parentibus Jerusalem in die solemnium Paschæ . . . post triduum invenerunt illum in templo sc-*

(a) Lucæ II. 22. & sequ. (b) ibid. 36. & sequ. (c) ibid. 42. & sequ.

dentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant; super prudentia & responsis ejus. Ecce gloriam Jesu Christi in templo! Sæpius equidem gloriam Patris & Filii docens in templo monstrat, sed quando augustius, ac cum super asinam cum triumpho ingressus erat Jerusalem. Triumphalem hunc urbis & templi ingressum de Messia pridem vaticinatus fuerat Propheta Zacharias his verbis: (a) Exulta satis filia Sion (quæ est templum) *jubila filia Jerusalem* (quæ est urbs) *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendet super asinam, & super pullum filium asinæ. Ostendant nobis Judæi ac Libertini, ubinam & in quo ipsorum Rege hæc Zachariæ Prophetia adimpleta fuerit? Quisnam Regum super asinam, & pullum filium asinæ urbem ingressus est & templum, suumque salvavit populum? sed aperiant librum Historiæ Jesu Christi, & invenient: (a) Cum appropinquasset Jerusalem . . . tunc Jesus misit duos discipulos dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite & adducite mihi . . . Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverat vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus & sternerant in via; turba autem, quæ præcedebant & sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in Alt-*

(a) Zach. IX. 9. (b) Matth. XXI. 1. & sequ.

missis! Ecce gloriam Jesu Christi in urbe: Nam (a) cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta a Nazareth Galilææ. Nunc & videamus gloriam ejus in templo: (b) Et intravit Iesus in templum Dei, & eiciebat omnes vendentes & ementes in templo, mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. . . . Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt (utique super gloriam Jesu Christi in templo ringentes & æmuli) & dixerunt ei: Aud's, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Utiq; : Nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Quæ major gloria, quæ major potentia & virtus cogitari aut monstrari potest, quam modo descripta Jesu Christi in templo? Sed adhuc de alia longe majori vaticinatur Zacharias: (c) Et loquetur pacem gentibus, & potestas a mari usque ad mare, & a fluminibus usque fines terræ. Ostendant Libertini & Judæi Regem super asnam & pulum asinæ urbem & templum ingressum, qui pacem locutus est gentibus, & cujus potestas a mari ad mare & usque ad fines terræ sese protendit, Sed nos monstrabimus, Jesum Christum fuisse hunc Regem, qui pacem locutus est omnibus gentibus, & cujus potestas ex Sion a mari ad mare & usque ad fines terræ sese protendit. In ipso igitur solo Prophetia Zachariæ literaliter adimpleta fuit.

§. III.

(a) Ibid. 10. seq. (b) ibid. 12. & seq. (c) Zach. IX. 10

§. III.

Prophetarum Oracula de Messia venturi prædicatione in Jesu Christo adimpleta ostenduntur.

I. **E**cce dies veniunt, vaticinatur Jeremias, (a) & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt in populum, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens agnosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Quilibet noverit, fœdus & pactum, quod Deus pepigit cum Israele & Juda, cum reduceret eos de terra Ægypti, non fuisse aliud, quam legem Moyse dictatam a Deo; pariter ex Hebræorum Historia constat, quod Judæi hoc pactum fecerint irritum; & legem Moyse nunquam gravius transgressi fuerint, ac in tempore Jesu Christi, ut illis continuo, Evangelio teste, exprobraverat. Nunc ait Propheta: Ecce dies veniunt, & feriam fœdus novum, & hoc erit

(a) Jerem. XXXI. 31. sequ.

erit pactum, quod feriam post dies illos: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt in populum. Jam dicant increduli, quando ferit Deus pactum hoc novum? Quando dedit legem suam in visceribus eorum, & scripsit in corde eorum? Sane hoc tempus, hosque dies in nulla temporis Epochâ definire poterunt. Possuntne vero inficias ire, Jesum Christum in triennali Missionē & prædicatione sua novum cum populo hoc, & cum mundo universo, pepigisse fœdus, novamque sacri Evangelii sui legem, scilicet legem amoris in visceribus eorum cum unctiōe gratiæ suæ dedisse, & inscripsisse cordibus eorum, quod factus sit ipsorum Deus, & ipse populus ejus, & quod non solum Judæos, sed & omnes mundi populos, a minimo ad maximum fecerit cognoscere Deum. Id quod tamen fufius clariusque monstrabimus, cum docebimus, per hoc fœdus novum, per legem sancti Evangelii sui mundum conversum fuisse universum. In Jesu Christo igitur ejusque Evangelica lege hæc Jeremiæ Prophetia ad literam adimpleta fuit. Quod & inde firmatur, quia subdit Propheta, hoc tunc futurum esse, cum propitiabitur peccato eorum, & peccati eorum non memorabitur amplius, sed videbimus, Jesum Christum fuisse, qui propitiatus est iniquitati eorum, & sustulit peccata mundi.

II. Alterum de Messia prædicante Oraculum effudit Isaias Propheta, & quidem in ipsa ejusdem Persona dicens: (a) Spiritus Domini super me, eo quod unxerit

Domi-

Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut morderer contritis corde & prædicarem captivis indulgentiam, & clavis apertionem. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes. In quonam adimpleta est Prophetia ista? ostendant, si possint. Nos autem monstrabimus ipsis, ipso Judæorum testimonio & assensu, in Jesu Christo adimpletam fuisse. (a) Et venit in Nazareth, sacra Historia narrat, ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabathi in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit, sanare contritos corde. Prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum; cepit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Joseph? Jam erat tempus, inquirere Judæos, an esset vere filius Joseph, an ex Virgine natus Messias? Verum (a) Surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum ad supercilium montis . . . ut precipitarent eum. Sed & hoc prophetatum fuit, ut audiemus.

(a) Lucæ IV. 16. seq. (a) ibid. 29.

III. Possem innumera alia adferre Prophetarum Oracula de Prædicatione Evangelii & doctrinæ, quæ mundum erat conversura universum, quæ omnia in Prædicatione Jesu Christi ejusque sancto Evangelio per mundum universum prædicato, suo tempore monstrabimus adimpleta, & Excellentiam, sanctitatem, puritatem & divinitatem Doctrinæ suæ Evangelicæ Lectorum & Auditorum oculis proponemus admirandam, solum adhuc unum afferentes Isaïæ Oraculum: (a) *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion regnabit Deus tuus.* Quod & prophetavit Propheta Nahum, inquit: (b) *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem.* De quo prædicante & currente super montes, ut evangelizaret & annuntiaret pacem, loquuntur Prophetæ? In quo adimpleta fuere? nisi in Jesu Christo, qui percurrit Judæam, Palæstinam & Galilæam per tres annos continuos, & ubique prædicavit Evangelium suum, *Evangelium pacis & amoris, & remissionis peccatorum, sequentibus signis.*

§. IV.

Adimpleta sunt in Jesu Christo Oracula Prophetarum de Miraculis Messia.

Quod celebrius, quod augustius de Messia venturi miraculis adferri potest testimonium, quam illud Isaïæ, qui in Messia annuntiando & describendo

(a) Isaï. LII. 7. (b) Nahum I. 15.

totus

totus est (a) *Lætabitur; inquit, deserta & invia, & exsultabit solitudo, & florebit quasi liliū, germinans germinabit, & exsultabit letabunda & laudans . . . dicite pusillanimis: confortamini & nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures patebunt; Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum &c.* Jam ostendant nobis increduli, quando & in quo hæc Oracula adimpleta fuere? quod monstrare non possint, in Sectione sequenti evincemus, nos vero monstrabimus ipsis, in Christo Jesu hoc Oraculum de miraculis & portentis splendidis atque stupendis adimpleta fuisse. Aperiant Evangelii librum, & paginam designent nobis, ubi non stupenda miracula a Jesu Christo in Missione sua patrata consignentur; ad pauca restringimus Demonstrationem nostram, & quidem ad ea, quæ de Messia Isaïas prædixit, & quæ Jesus Christus per miracula sua adimpleta comprobavit; (b) Sanaverat Jesus Christus Centurionis servum verbo & in absentia, & in civitate Naim filium unicam matris viduæ mortuum, tangendo loculum suscitaverat: Et exiit hic sermo, ait Evangelista, (c) *in universam Judæam de eo, & in omnem circa Regionem.* Et nuntiaverunt Joanni Discipuli ejus de omnibus his. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum dicens; Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerant, Joannes Baptistæ misit

G

(a) Isaï. XXXV. 1. & sequ. (b) Lucæ C. VII. 2. sequ. & II. sequ. (c) ibid. 17. sequ.

fit nos ad te, dicens: tu es, qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora, multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis & vidistis; quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, & pauperes evangelizantur. Quodnam clarius majus & evidentius testimonium & argumentum dare poterat Jesus Christus, quod esset ille, qui venturus erat, nempe expectatus Messias, quam ut in eadem hora, in oculis interrogantium miracula, quæ Isaias de Messia prædixerat, patraret, & illos cum hoc testimonio ad Joannem, vel potius ad convincendos incredulos, & quidem ad ipsum Isaiæ Prophetæ Oraculum remitteret.

SECTIO SECUNDA.

REPELLUNTUR EA, QUÆ LIBERTINI ET INCREDULI CONTRA FACTA ET MIRACULA JESU CHRISTI OPPONUNT.

§. I.

Refellitur Libertini argumentum contra oraculum Aggæi in Christo Jesu adimpletum.

I. **O**raculum Aggæi dicit Libertinus quidam, non in Christo Jesu, sed in Rege Herode adimpletum

pletum fuit, non enim Jesus Christus nudus & pauper Templum a Zorobabele exstructum decorare, & splendore ac divitiis magnificare poterat; hoc autem fecisse Herodem Regem, & Templum multis exornasse divitiis, ampliassse ædificiis, & distinxisse ornatibus, ipse testatur Josephus Hebræus Scriptor: *Decimo & octavo anno regni Herodes, ait, (a) post prædicta ædificia opus non minimum inchoavit; siquidem Dei templum maximum construere, & multum altum & decorum erigere judicavit.* In Herode igitur, & non in Christo Jesu adimpletum est Aggæi Prophetæ Oraculum. Verum, quantumcunque ornaverit Zorobabelis templum Herodes, quis unquam audiit, aut quis Scriptorum tradidit, ornatum & ædificia Herodis superasse magnificentiam templi a Salomone constructi? *De gloria novissimæ domus majori* loquitur Propheta, quæ solum in Christo Jesu, non autem in Herode adimpleta probari potest. Nimis carnalis & sensualis Judæorum instar esse debet, qui hanc gloriam Messie in divitiis & ædificiis reponere audet.

II. Sed, inquit incredulus alter, Jesus nequidem Zorobabelis intravit templum, quomodo igitur illud gloria majori ac illa Salomonis complere potuit? Audivimus modo ex ipso Josepho, *Herodem Dei templum maximum construxisse & multum altum & decorum erexisse;* igitur Zorobabelis templum Herodem destruxisse necesse est, ut alterum *multum altum & decorum* ædificare potuerit. Quæ non misera quærunt increduli

subterfugia, ut Veritatem Divinam eluderent? Quid igitur ædificavit Herodes? Herodes, respondet Josephus, (a) operibus muros, & porticus exteriores curabat, quæ cum octo annos ædificasset, templo per Sacerdotes in uno anno (scil. interiori) & quinque mensibus peracto, omnis populus lætitia completus est. Ergo muros & porticus non autem templum ædificavit Herodes. Templum maximum construere iudicavit, sed non construxit. Atque ne dubitemus, nullum aliud præter templum Salomonis a Chaldæis destructum, & præter illud Zorobabelis ab Herode per muros & porticus ampliatum unquam exstructum fuisse, ipsum audiamus Josephum: (a) Ab ædificio templi Salomonis, ait, usque ad Vespasianum currebant anni 1130. & ab illo Aggæi usque ad captam Hierosolyman anni 699. Ecce hic nulla alterius Templi ab Herode exstructi fit mentio. Zorobabelis igitur templum juxta Prophetiam Aggæi ingressus est Jesus Christus, & illud gloria & pace complevit; Licet illud Sacerdotes intus ornaverint, Herodes vero extus per porticus & muros ampliaverit, Josepho teste.

§. II.

Libertinorum sophismata contra Miracula Jesu Christi diluuntur.

Jesum Christum triennio Missionis suæ prædicasse in Judæa, Palæstina & Galilæa Evangelium sunt,

(a) cit. L. XV. Antiqu. C. XIV. (b) De Bello Judaico L. VI. C. 4.

um, Libertinos parum offendit; sed Doctrinam Evangelii sui esse Divinam, multum adversantur; eorum tamen dubiis alibi satisfaciemus, ubi Doctrinam Jesu Christi purissimam, sanctissimam & plane Divinam esse comprobabimus; modo quid de Miraculis J. C. sentiant; disquiremus; persuasi enim sumus, quod si Miracula J. C. vera & Divina sint, etiam Doctrina Divina esse debeat, quia in ejus probationem patrata sunt; dici non potest, quanto & quam diverso conatu & molimine increduli miraculorum veritati obstrepant, quia de ea convicti, quo se vertant, non habent. Ut autem omnem evertamus conatum, eorum sophismata in certum ordinem redigemus, & licet fusiori, presso tamen quantum potest, calamo dissipabimus.

S O P H I S M A I.

Miracula impossibilia esse.

I. **L**eges generales naturæ sunt ipsa Dei Decreta, & hæc sunt immutabilis Dei voluntas, si autem miraculum quoddam possibile esset, deberent universales Naturæ Leges dirumpi, miraculum enim est exceptio particularis ab universalibus Naturæ legibus, ergo & Dei decreta ejusque voluntas immutari, sic ergo Deus perfectionem & attributum suum immutabilitatis, proinde se ipsum destrueret; hoc autem est impossibile, ergo & miraculum. Hoc equidem Spinozæ argumen-

G 3

tum

(a) Vid. Lib. II. de Religione revelata C. VI. de Mirac. §. 2. p. 185.

tum jam in libro priori audivimus, (a) atque disjecimus; verum increduli resolutione nostra ipsiusque Baylii ibi citato risu minime contenti, ad quoddam Christi miraculum descendunt, & impossibilitatem exemplo monstrare contendunt. Leges naturæ, ajunt, generales repossunt, ut corpus exanime in fœtorem, putredinem & pulverem dissolvatur; jam si Christus Lazarum fœtentem & putrescentem ad vitam revocasset, legem naturæ generalem, a qua corporis mortis & putrescentis dissolutio pendet, immutare debuisset, sic autem ipsius Decreta & voluntas immutaretur; ergo & ipse Deus, quod impossibile esse monstratum fuit.

II. Incredulus iste Patriarcham suum Rousseau legisse non videtur, ait enim, ut audivimus, (a) quod ille, qui neget Deum miracula patrare posse, *Hospitali includi mereretur*. Neque videtur incredulus iste Spinozæ discipulus esse, hic enim vere est Atheus, & alio ex capite miracula negat, inquit, Deum esse hanc substantiam universi, si igitur ista v. g. in corpore putrescenti & indissolutionem atomorum abeunte renascens fieret mutatio, ipse mutaretur Deus, quia mutaretur substantia contra leges suas naturales, quæ requirunt dissolutionem, non vitam. Verbum, Deum esse ipsam substantiam universi, incredulus, nisi Atheus esse velit, admittere nequit. Si autem Deista est, ut se simulat, dicat nobis qualem sibi fingit Deum, cum cum Decreta & Leges generales naturæ condentem concipit?

Sine

(a) ibid. §. 4. p. 296.

Sine dubio: Eius perfectionibus cunctis essentialiter dotatum, alius Deistam se dicere nequit: Igitur Deus Decreta & universales Naturæ leges condens debet esse infinite sapiens, sive omniscius; infinite potens, sive omnipotens; æternus, sive omnia sibi præsentia habens, & non in tempore, sed in æternitate omnia decernens & operans; His de Deitate principiis imbutus Deista examinet Lazari putrescentis revocationem. Scitvne Deus ab æterno Jesum Christum Filium suum Lazarum putrescentem ad vitam revocaturum? sane, alias omniscius non esset: Potuitne ab æterno hanc revocationem ad vitam contra generales naturæ leges decernere, hanc exceptionem a legibus, sive ipsam revocationem ad vitam operari? Sane, alias non esset omnipotens; quando nunc igitur secundum Decreta æterna Deus, qui est Jesus Christus Dei Filius hanc revocationem operatur? Secundum nostrum concipiendi & videndi modum, in tempore; secundum autem ipsum Dei operandi modum in æternitate, quæ est unum & indivisibile nunc; Nunc dicat nobis incredulus, ubinam Dei voluntas, æternum Dei decretum, & ipse Deus mutatur? Leges naturæ generales ait, mutantur, ergo & decreta, ergo & Deus. Si autem ab æterno Dei voluntas hanc legum mutationem, exceptionemque decrevit, ubi mutatio? Aut Deus, qui leges Naturæ generales condidit, eas in casu particulari æterno Decreto mutare & dirumpere non potest? Ubi ejus omnipotentia? ubi ejus infinita scientia operativa? Ignoratne incredulus,

G 4

nec

nec capillum de capite labi sine ejus Decreto? Applicet, & Deum miracula patrare posse, capiet.

S O P H I S M A II.

Miracula esse figmenta & Artes dexterarum hominum.

I. Libertini & increduli bene sibi conscii, quantum miracula, si vera sunt, Religionem Christianam, quam toto abhorrent animo, confirment, vel ad solam miraculi vocem nares corrugant, rident atque subsannant & aperte atque rotunde prætendunt, miracula nil aliud esse, quam hominum inventa, artificia & imposturas; atque ut quandam verisimilitudinis speciem incredulitati suæ adspargant; Legitote, inquit, tot Historiolas ridiculas, tot simplices falsasque Legendas, tot prodigia puerilia, frivola, absurda, & inutilia ad decipiendum, & ad falsam devotionem, subjectionem, emunctionem, & sterilem admirationem excogitata & fabricata, & quid de miraculis sentiendum sit, homini prudenti, facile capietis. Et si quædam sunt, quæ prodigia dici videntur, recte examinata, quid aliud sunt, quam hominum astutorum, in Physica & naturæ arcanis versatorum, & dexteritate ac artificiis potentiorum præstigia aut lusus. In hanc postremam opinionis suæ partem nobis citant sagacissimum (paradoxum deberent dicere) Roussojum, ita scribentem; (a) *Omne,*

(a) Lettre. III. de la Montagne z. 97. & sequ.

ne, quod de eo, qui miracula patrare se jactat, dicere possumus, est, quod quid extraordinarii facere noverit. Jesus Christus Spiritu Dei collustratus, & illuminatus, discipulis suis superioribus dotatus erat, qui igitur obstupescere possumus, quod multitudinem rerum extraordinariarum patravit, & ibi spectatorum ignorantia prodigia viderit, ubi nulla fuere. Miracula igitur non sunt infallibilia signa, de quibus homines judicare possint, cum etenim miraculum sit exceptio a naturæ legibus, eas cognoscere oportet; & ut secure judicent, omnes cognoscere necesse est. Et quis est ille? Neque magnus ille Naturæ Secretarius Newton. Blasphematum satis, respondeamus.

II. Si unum solum miraculum verum & evidens probari potest, Religio, quæ illud docet, vera debet esse atque Divina. Igitur tono Magistrali & effronti miracula qui negare præsumit, non debet solum quædam miracula adferre & falsa probare, sed omnia, nullo excepto; alias si convictus est, extitisse unum, negare non potest, posse existere multa & plurima; qui enim potest patrare unum, potest quoque patrare plurima, si autem, nullo excepto negare vult omnia, agendum! ergo debet adferere & probare, *Primo*: omnes libros, quos dicimus Divinos, & quibus ad demonstrandam Religionem nostram utimur, esse imposturas, fabulas, figmenta, visiones Chymæricas, eorumque Authores esse a Moyse ad ultimum ætatis nostræ Scriptorem usque impostores, & omnes illos, qui eos adserunt & crediderunt, fuisse deceptos atque illusos. *Secundo*:

cuudo: Jesum Christum fuisse Magum & incantatorem maximum, qui humanis præstigiis fascinaverit Hebræos, Gentiles & mundum universon, ut rejectis opinionibus suis hominem crucifixum sine omni Divinitatis signo & proba adorarint & adorent Deum. *Tertio*: Evangelistas fuisse stultissimos homines, qui talia de Christo narrarunt miracula & publicarunt, & se periculo exposuerunt, ut illi, qui contrarium viderunt, & noverunt, ipsis in faciem exprobrarent, esse falsos atque mendaces; & sic inimicis dedissent arma, ut Religionem, quam stabilire quærebant, subverterent & aspernarentur, falsamque convincerent. *Quarto*: Hebræos, Paganos & incredulos, qui erant crudeles Christi suæque Religionis inimici, stupidissimos, insensibiles & fatuos fuisse homines, quia miracula, quæ scribebant Evangelistæ, & prædicabant Apostoli, non negarunt, non repulerunt, eorumque dicta non ut somnia & Chymaræ declararunt, atque probarunt, sed permiserunt, ut ea ceu facta publica & assecurata producerent & divulgarent. *Quinto*: universon mundum fuisse fascinatum & phreneticum factum, quia factus Christianus, ignorans, quare? quia adoravit hominem Deum, quin aliam Divinitatis suæ dederit probam, quam quod probe in cruce sit mortuus; *Sexto*: Omnes Apostolos, omnes ab initio Ecclesiæ Patres & Episcopos, Irenæos, Justinos, Basilios, Athanasios, Ambrosios, Augustinos, Chrysostomos, Gregorios &c. Omnes Doctores & Philosophos, omnes Imperatores, Reges & Principes, omnes sapientes & prudentes, omnes judiciosos & cir-

cum-

cumspectos, verbo universon Christianæ Religionis cœtum factos fuisse stultos atque mendaces, qui exemplo suo & fide crediderunt & attestati sunt miracula & prodigia, quæ tamen agnoverunt ficta & falsa, & execrabili quasi impostura mundum deceperunt universon; ne verbulum dicam de SS. Martyribus, qui pro fide, pro hoc Evangelio sanguinem dedere vitam & animam, & millenis dilaniati sunt martyriis, pro Evangelio, inquam, & fide, quæ miracula spargit, quæ tamen incredulus heri natus invenit, detexit & probavit esse falsa, inventa hominum, præstigia artificum, & lusus circulatorum. Ecce, quæ miracula incredulus negans, mundo in faciem exprobrare, sed simul probare debet, & quod plus est, probare debet, mundum universon sine miraculis, quæ tollere audet, fuisse ad Christum conversum, & tunc quoque miserrimus iste Philosophus suo se capit hamo, quia sine miraculis, h. e. omnibus profus sublatis, maximum miraculum contra vim & voluntatem suam statuit: *Hoc vobis* (incredulis cum S. Augustino in faciem conjicio) *unum grande miraculum sufficiat, quod terrarum orbis sine ullo (ut prætenditis) miraculo credidit.*

III. Falsa narrari miracula, & fabulosas dari Legendas, ultro concedimus; verum inde sequi, nulla dari vera, & veridicas, hoc est, quod negamus. Propterea enim, quod in Historiis profanis scribantur fabulæ & falsa facta, non sequitur, non stetisse Athenas, non vicisse Cæsarem. Dicent, parum importat, vicisse

se

se Cæsarem, sed dari miracula, est idem ac Religionem Christianam confiteri veram. Recte dicit, & perversum prodit animum, quare non credat, ne se iugo Christi, quod suave est, sed ipsi durum videtur, submittere, teneatur. Qui credit veritatem unam, quæ nil commodi adfert, & negat alteram, quæ æque evidenter probata est, sed ipsum ad bene videndum obstringit, prodit, quod non neget, quia vera non est, sed quia veram non esse, ex malo animo vellet. Ponderet rationes, quæ miracula probant (a) & quæ Cæsaris victoriam adfirmant, ut in Libro priori docuimus, & erubescet, ex veritatibus æque evidenter probatis negare unam, & admittere alteram.

IV. Russojo equidem jamjam respondimus, paucis igitur eum absolvemus. Hominem mortuum, publice sepultum, foetentem jam & putrescentem ad vitam revocare, cæco nato visum impertiri, infirmum absentem verbo sanare, paralyticum per annos 36. iussu erigere, suntne prodigia, aut res extraordinariæ? Rousseau respondere se excusat, quia non omnes naturæ leges pernoscat; qua ergo lege eget, ut foetentem, cæcum a nativitate, infirmum absentem, paralyticum claudum dignoscat, certe non nisi odoratu, oculis, ac manibus; Et ad hoc requiritur *Physica experimentalis, Camera magica Nolleti, instrumenta Mathematica, Phosphorus, Pyrophorus, aurum fulminans &c.* Quæ joculando addu-

(a) L. II. de Religione revelata C. IV. §. 3. pag.

adducit? (a) Si Judæi fuerant sepulturæ præsentem, si foetentem odorati, & nunc vivum euntem contemplati sunt; si urbs, si parentes, si templum frequentantes eocum natum nunc videntem conspiciunt, si infirmi in Piscina tot annis claudum nunc ambulanti intuentur, si domestici servum morientem in ictu oculi sanatum reperiunt, ergo hæc omnia falso viderunt, quia non omnes leges naturæ cognoscunt. Ergo hæc portenta sunt res extraordinariæ a Circulatore patratæ, quia Rousseau in Christum blasphemus miracula capere & credere detrectat. Quæ misera Philosophia! Omnes miraculorum testes de numero ignorantum sunt, quia Rousseau ipsos cæcos, stupidos, stultos & idiotas dicit, egregia illatio! Propterea dicit Isaias, *Deus ipse veniet, & tunc aperientur oculi cæcorum &c.* ut Jesus Dei Filius hominis arte circulatorum ludat? Quæ nova Theologia?

S O P H I S M A III.

I. *Woolstonius* paradoxior Roussejo aliam meditatatur viam, Miracula Jesu Christi eludendi & evertendi; postquam cum Spinoza eorum possibilitatem rejecerit, tot autem rationes Evangelicas, tot miraculorum testes sibi sentiat adversus, in puerilem & ridiculam sane abit opinionem, fabulando, miracula, quæ narrat Evangelistæ, non in sensu literalis, & reali, sed allegorico & mystico intelligi debere (a) v. g. "Cum nar-

(a) Rouss. Lettr. III. p. 98. (b) Woolston Di-
scours. II.

“ narrant, Mulierem per annos 12. sanguinis fluxu laborantem & omnem substantiam inutiliter in medicos erogantem fiducia tactam Jesum retro accessisse, & ejus vestimenti fimbriam tangendo, sanatam fuisse, non literaliter sed allegorice sumendum esse; scilicet Ecclesiam, postquam substantiam suam in manus Clericorum erogaverit, quin salutem, eorum diffensionis & disputationis causa, obtinere potuerit, tandem ad vestimenta h. e. ad discursus & doctrinam Salvatoris se convertisse, & sanitatem, in pace æterna [fruituram, recuperasse. „ Quis non videt, talia Evangelistas scribere voluisse? Hoc modo & in hoc sensu possent omnes Livii & Thucydidis Historiæ explicari, & omnia facta Historica e mundo eliminari. Juxta Woolstonium igitur cœcus a nativitate erat homo ex utero passionibus excœcatus; claudus, qui claudicabat in via justitiæ, surdus, qui nolebat audire verbum Dei, mutus, qui veritatem loqui respuebat &c. & hos Jesus doctrina sanavit.

II. Siccine Libertini & increduli & ipsum communem sanumque exuunt sensum, ne veritati subscribere cogantur? Ergo Christus, cum in præsentia Discipulorum Joannis aperuit oculos cœcorum, claudis restituit gressum, surdis auditum, mortuis vitam &c. mystice sanavit eos? ad quid ergo in testes eorum provocat oculos & aures; renuntiate, Joanni, quæ vidistis & audistis. (a) Ad quid ergo Nicodemus dixit: (b) Scimus, quia

(a) Luc. VII. 22. (b) Joan. III. 2.

quia a Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo? Quare ergo blasphemabant Sacerdotes & Scribæ dicentes, Christum (a) in Belzebul ejicere Dæmonia? Quare miratæ sunt turbæ, magnificantes Deum, (b) quod dederit talem potestatem hominibus; & dicentes, opera talia nullum fecisse hominem, qualia Christus? Ad quid Jesus dixit: (c) Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent? Ergo omnes Judæi & Apostoli, Scribæ & Sacerdotes nec oculos habebant nec intellectum, ut ea crederent opera & prodigia esse, & quidem per Belzebul & arte magica patrata, quæ allegoriæ & tropi erant? Rifum teneatis amici.

III. In testes equidem vocat Philonem & Origenem, qui pariter miracula Christi allegorias dixissent. Sed quam falso? cum Philo eos levitatis condemnet, qui rejecti literalis sensu ad mystica sola confugiunt; (d) cum & Origenes non solum ut Philo hos allegoriarum fabricatores, literam negligentes condemnet, sed & contra Celsum Jesu Christi Divinitatem ex spiritu & potentia sive Prophetiis & miraculis demonstret, & ipsa miracula, non magia, ut Celsus contendebat, sed in digito Dei patrasse evincat. (e) Licet igitur Philo & Origenes plus æquo Scripturam in sensu mysticos traxissent, tamen nunquam somniarunt miracula allegorias &

(a) Matth. XII. 24. (b) Matth. IX. (c) Joan. XII. 24. (d) Philo de Migrat. Abraham. p. 402. (e) Contra Cels. L. I. L. II. & sæpe alibi C. I.

& tropos compellare & explanare. Solus Woolston videt alia, quæ nemo vidit. Verum fat est, ipsum a suis Atheismi convictum fuisse. (a)

S O P H I S M A IV.

Jesum Christum miracula per nomen Tetragrammaton, vel ope & ministerio Geniorum sive Dæmonum patrasse.

I. Audivimus, quam fabulam Judæi de Jesu Christo confinxerint, nunc & audiamus, quæ de ipsius miraculis fabulentur.

Continuatio fabulæ Judæorum de vita J. C.

Bethlehemitæ dicebant ad ipsum: Miraculo de-
 “ monstres, quod Deus sis. Fiat: appor-
 “ tate mihi mortuum, & resuscitabo eum. Currebat
 “ populus aperire sepulchrum, in quo nonnisi ossa arida
 “ jacebant. Cum hæc ossa portassent ante Jesum, or-
 “ dine composuit ossa, vestivit ea pelle, carne &
 “ nervis, & homini restituit vitam. Populus in ad-
 “ mirationem viso hoc prædigio rapiebatur, Quid?
 “ dixit Jeschu, vos ob ista obstupescitis, adferte lepro-
 “ sum, & sanabo eum. Veniebat leprosus, & mox
 “ pronuntians eodem modo ineffabile nomen Dei sa-
 “ navit

(a) Edmund. Gibson Episc. Londin. in Pastor. Le sens Letteral de l' Ecriture S. T. I. Chap. 8.

“ navit illum. Habitantes in Bethlehem ob hæc prodigi-
 “ stia stupefacti se prostraverunt in terram & adorave-
 “ runt eum, dicentes: vere tu Filius Dei es. Rumor
 “ tantorum prodigiorum pervaserat in Jerusalem us-
 “ que, impii multum delectabantur in illis, sed gens
 “ sensata & Senatores Synedrii auctissimo dolore tacti
 “ fuere. Resolverunt igitur ipsum in urbem Hiero-
 “ solymam pertrahere, ut ad mortem condemnent
 “ eum. „

Jam dixi, narrasse fabulam, eam refutasse est. In Nomine Jesu Petrum Apostolum ad portam speciosam claudo restituisse gressum, Apostolorum acta enarrant (a) Verum ineffabile Nomen Dei, ut Judæi delirant, in ore impiorum, qualem Jesum Christum blasphemabant, stupenda miracula patrare, Thalmudicæ superstitionis delirium est; Interea Judæi in fabula sua Woolstonium confundunt, testante, non allegorice, sed realiter, mortuum ad vitam revocasse, & leprosum sanasse.

II. Aliter gentes & increduli de miraculis Jesu Christi sentiunt. Primi cum Scribis volunt, Jesum Christum miracula in Belzebut & arte magica sive ope Dæmonum patrasse; Alteri, magiam respuentes, fabulantur, Jesum Christum ceu Dei Filium sive Prophetam ad ministerium suum genios habuisse, quorum ope prodigia, non vires Angelicas, sed humanas superan-
 H tia,

(a) Astor. III. 6.

tia, minime autem Divina, patravit. Verum est, Pharisei dicebant, Jesum in Principe Dæmoniorum Dæmones ex obsessis ejicere (a) sive, quod idem est, per magiam miracula patrare; saltem sic Celsus aliique Ethnici dicebant; Verum ubinam Pharisei probarunt, & Jesum convicerunt, in Principe Dæmoniorum miracula patrasse? Ergone calumniari probare est? Qui vitam Jesu Christi in Evangelio legit, & eum Magum, organum & ministrum Dæmonis compellare audet, prorsus ratione destitui, necesse est. Si Jesu Christi Doctrinam & opera pensitamus, totus in eo erat, ut Imperium Diaboli destrueret, Idololatriam, quæ erat Dæmonum servitus, e mundo eliminaret, & adorationem ac cultum veri & unius Dei induceret, & nil nisi virtutem & sanctitatem implantaret, ac orbem universum a captivitate & servitute Dæmonum redimeret. Et tantum redemptionis & conversionis opus Jesus per Dæmones confecerit? Dæmones per Principem Dæmoniorum ejecerit? Imperium Diaboli per Dæmones destruxerit? Principem Dæmoniorum per Principem eorum ejecerit? Nunc, dicebat Jesus in præsentia Judæorum & Paganorum, (b) Princeps hujus mundi ejicietur foras; Et per quam virtutem? Arte magica? ope Dæmonum? Recte Jesus ipse compescit hæc calumniatorum deliria, inquiens: (c) Estne Sathanas in se ipsum divisus, quomodo stabit imperium ejus, cum regnum in se divisum desolabitur? concludamus igitur hoc Responsum nostrum cum

(a) cit. Matth. XII. (b) Joan. XII, 31. (c) Matth. XII, 25, 26. (d) Contra Cels. L. I. n. 51.

cum Origene: " Itaque seposita omni de miraculis præjudicata opinione, quæritur, bonone an malo consilio quis illa fecerit, ut ne aut ea vituperemus, aut omnia tanquam Divina admiremur & admittamus; an non perspicuum est ex Moyse & Jesu Miraculis, quibus integræ gentes constitutæ sunt, eos Divina potestate fecisse, quæ ab illis facta fuisse Scripturæ narrant? Neque enim malis artibus magicisque præstigiis constituta fuisset gens tota, quæ despectis non solum simulacris falsisque numinibus, quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis ad Deum rerum omnium principium principio carentem ipsum assurgit, „

III. Nunc & incredulis, qui magiam rident, & tamen ope Geniorum miracula Christum patrasse somniant, respondeamus. Genii, inquiunt, qui & Dæmones vocantur, sunt substantiæ Deo inferiores, sed homine superiores, qui ex naturali, qua dotati sunt, scientia prodigia patrant, ut ea in medio Gentium & Idololatrarum patrasse Historiæ narrant. Quodsi igitur hi Genii sive Dæmones (sive boni sive mali, eorum enim est eadem quoad virtutem Angelicam ratio) prodigia patrare possunt, quomodo illa certa & infallibilia Divinitatis Jesu Christi erunt testimonia & probæ? Sic enim Hadrianum, Vespasianum, Aristæam Proconnesium, Apollonium Thyaneum, Esculapium ejusque Sacerdotes, aliosque Ethnicos, qui miracula sine dubio horum Geniorum & Dæmonum ope patrarunt, Divinitatis

nitatis quid habuisse, necesse esset. De miraculis Hadriani testatur Ælius Spartianus; de illis Vespasiani testatur Tacitus atque Suetonius; De miraculis Aristæ Proconnesii Herodotus & Pindarus; de illis Apollonii Philostratus, de illis Æsculapii ejusque Sacerdotum tota antiquitas. De quibus & nuper Theologus Christianus in Gallia scribere non dubitavit: (a) *Ergo omnes morborum curationes a Christo peractæ, si seorsim sumantur a Prophetiis, quæ in eas aliquid Divini refundunt, æquivoca sunt miracula, utpote illarum haberent vultum & habitum in aliquibus curationes ab Æsculapio factæ. Ex se enim nullam habent miracula Germanitatem cum Doctrina.* Dat quoque idem Theologus de Vespasiani miraculis testimonium: (b) *Et de quo in Historia non revelata dubitare non poteris, si duo negabis e. g. miracula Vespasiani? Hæc sunt miracula patrata ab Imperatore in præsentia Aulae & multitudinis multum attentæ.*

IV. Ad hoc incredulorum Sophisma penitus dissolvendum recordetur benevolus Lector & Auditor Doctrinæ nostræ, quæ in Libro priori de miraculis solidavimus. (c) scil. Miraculum esse opus, quod omnem virtutem naturalem sive Angelicam sive humanam superat, atque transcendit, adeo ut sola Divina potentia quæ condidit, & gubernat omnia, & quæ sola universæ dominatur naturæ, illud virtute sua Divina producere

(a) Martin de Prades in Thesi a Sorbona confixa n. 7.

(b) Apolog. de la These p. 264. (c) L. II. de Reliq. Revel. C. VI. de Miraculis.

cere possit. Fateamur equidem, Angelos & Dæmones mirabilia producere posse, sed posse patrare miracula, hoc est, quod rotunde negamus, quia proprias vires suas, quæ mere naturales Angelicæ sunt, transcendere nequeunt. Vel igitur credunt increduli Jesum Christum verum esse Deum, vel non? si ita, sane Geniorum sive Angelorum ope non eguit ad sua patranda miracula, quia propria virtute Divina ea solus, Angeli vero ea nequaquam, quia naturales eorum superabant vires, patrare poterant. Si autem Jesum Christum Deum esse negant, sed solum Dei dicunt Prophetam, rursus quæro: Miracula, quæ patravit, an vere miracula, an vero actiones Angelicæ fuerunt? Si primum Genii & Angeli patrare non poterant, quia Divina; si secundum, extra quæstionis statum versamur, quia de miraculis, non de mirabilibus, nobis sermo est. Sed reponunt increduli, mirabilia, non autem miracula sunt, quæ Christus patravit. Bene, videamus igitur. Hominem mortuum, pannis, ut Orientalibus consuetum erat, involutum, foetentem & putrescentem, restituere, animam ex altero mundo revocare, corpori reviviscenti unire, estne hæc operatio Angelica aut Divina? Quis condidit naturæ leges? Quis disruptas consolidare potest? sane solus Naturæ & legum Author. Verbo, jussu, & in absentia corpus per morbos destructum in ictu oculi restituere, Angelicum aut Divinum est opus? Sane Naturæ Authoris; & sic de ceteris. Miracula igitur Jesu Christi Divinæ potentia atque virtutis characterem habebant, igitur Genii sive Dæmones (sint

boni

boni, sint mali) ea patrare non poterant. Deinde. Possuntne Genii, Dæmones & Angelicæ potestates sive bonæ sive malæ, pro libitu suo miracula patrare? Minime, quis etenim pro malorum spirituum prodigiis in mundo securus viveret, si aut propria aut aliena, hominum eos implorantium & instigantium malitia mirabilia patrare possent? De Angelis bonis adeo certi sumus, eos nonnisi a Deo missos, & singulari Dei jussu instructos quidpiam mirabile patrare posse. Quodsi igitur Deus permiserit vel jusserit Angelos mirabilia Moyſis & Jesu Christi patrare, in quem finem? Quod Deus per seipsum & voluntatis imperio facere potest, sane per Angelos non faciet; Et quid tunc, si Angeli, ut diximus, hæc operari non poterant? Jesus Christus debebat Divinitatem suam, sicut Moyſes missionem suam a Deo per Miracula Divina, non autem per Mirabilia Angelica probare. Illa Angeli patrare non poterant, hæc patrata non sufficiebant, igitur nec Jesus, nec Moyſes sua miracula per Genios patrarunt.

V. Sed, inquiunt increduli, in quo igitur Mirabilia Angelorum a Miraculis Divinis discerni queunt? Cæcis Jesus restituit visum, claudis gressum, hæc & fecit Vespasianus, sane non virtute sua, ergo Geniorum. Jesus sanavit infirmos, hæc & præstitit Hadrianus, Æsculapius, ejusque Sacerdotes. Legat incredulus, quæ signa distinctiva Divinorum Miraculorum in loco citato posuimus, & ad illa probet Miracula Geniorum, & habebit, quod querit. Verum superest, ut vanam Gen-

Gentilium jactantiam reprimamus Hadrianus, inquiunt, miracula patravit; Narravit Spartianus, audiamus igitur ipsum, (a) *Ea tempestate supervenit quaedam Mulier, quæ diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Hadriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus; quod cum non fecisset, esse cœcatam Fussam tamen iterum, Adrian eadem diceret, atque genua ejus oscularetur, receptura visum, si id fecisset. Quod enim in somnium impleisset, oculos recepit, quum aqua, quæ in fano erat, oculos abluisset. Venit & de Panonia quidam natus cœcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit; quo facto & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit; quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret. Et hæc sit Miraculorum proba Miraculis Jesu Christi opposita, quæ ipso Ælio Spartiano teste, per simulationem facta esse, Marius Maximus commemorat? Audiamus quoque miracula Vespasiani: (b) *Hinc cum de firmitate Imperii capturus auspiciam, Ædem Serapidis, submotis omnibus, solu intrasset, ac propitiato multum Deo, tandem sic convertisset, verbenas, coronasque & panificia, ut illic assolet, Basilides Libertus obtulisset ei (NB. Vespasiano soli) visus est, quem neque admissum a quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat. . . . Ex plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam a Serapide per quietem, restitutum oculos si inspiciisset, confirmaturum crur-**

H 4

(a) Ælius Spart. in Adrian. C. XXV. (b) Sueton. in Vespas. C. VII.

si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque me experiri quidem aude-
ret, extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrum-
que tentavit, nec eventus defecit. Hæc sunt illa duo mi-
racula, quæ de Prades extollit, & ab Imperatore in
præsentia Aulæ & multorum attentorum patrata dicit.
Et quis ea narrat? Suetonius. Et Suetonius non alia
enarrat portenta, quæ sapientes fabulas compellant? sed
& ipsum audiamus Suetonium hæc narrantem, quid
subdat: (a) *Auctoritas & quasi Majestas quædam ut scili-
cet inopinato, & adhuc novo Principi deerat, advertat
Lector, deerat, huc quoque accessit, nonne hic cum Ma-
rio dicamus: Et hæc per simulationem facta sunt. Recte
igitur Cenfor Thesium Theologi de Prades suæ notæ
subscribit: (b) Parum Aulas cognoscere debet, qui igno-
rat, quantum adulatio & complacentia veritatem ab illis ab-
igant. Cum Romani Imperatores suos adhuc in vivis
apothefisare non erubuerant, multone constiterit ipsis ipsos
miracula patrantes fingere? De miraculis Aristææ Proco-
nesii Origenes Celsum ita alloquitur: (c) Tu qui omnia
figmenta esse putas, quæ de Jesu Miraculis Discipuli literis
consignarunt, & incusas eos, qui illis adjungunt fidem;
quomodo res hujusmodi (quæ de Aristæa feruntur) pro-
digiose confictas fabulasque esse non judicas? quomodo tu,
qui aliis vitio das, quod Jesu miracula nulla ratione ad-
mittant, talia videris admittere, nulla allata probatione,*
nul-

(a) Sueton cit. C. VII. (b) Court Examen de la The-
se de M. l' Abbé de Prades §. 5. p. 121, (c) L. III. con-
tra Cels. pp. 27.

nulloque argumento res illas contigisse? An Herodotum &
Pindarum non putas mendacris fallere. Quid de miracu-
lis Apollonii dicam? Photius dicat, quid judicet. (a)
Φιλοσοφῶτος μονδογραφοῦ Fabulosus ille Scriptor, cujus
sanissima opera octo libris comprehensa in textura crassissi-
marum stultitiarum & monstruosarum fabularum consistit
(de Apollonii Romanensi Historia loquitur) *ullam pru-
dentis fidem merentur?* De Æsculapii, suorumque Sa-
cerdotum curis quid dicam, quas vel mere naturales &
pro idiota illo sæculo mere plebejas vel fabulosas omnis
facultas medica rejicit, has Theologus Christianus, qua-
lis de Prades cenferi voluit, miraculis & curationibus
Jesu Christo assimilare audeat? Hæccine, inquam, Eth-
nicorum sunt miracula, quæ probare debent, ea Jesu
Christi non esse miracula, sed portenta mirabilia Geniis
vel Dæmonibus patrata?

VI. Sed cedamus incredulis, allatos hucusque Eth-
nicos ope Geniorum sive Dæmonum hæc mirabilia
(miracula enim audire & admittere nolunt) patrasse;
quæ ergo inferunt? Ergo & ea Mirabilia, quæ Jesus
Christus in Evangelio narratur patrasse, non Virtute
Divina, sed ope Geniorum & Dæmonum patravit. Est-
ne hæc Philosopho digna illatio? Recenset: Pagani Dæ-
mones adorarunt, eorum cultum & Idololatriam pro-
movere studuerunt, quid mirum esset, si eorum ope
mirabilia eorum vires naturales non transcendentia pa-
trassent, quæ gentes in Idolomania firmarent? Sed quæ
erat

(a) Photius Codice CCXLI.

erat Jesu Christi doctrina? Unum esse Deum, Trinum in Personis, Principem Jesum Christum esse Messiam a Patre missum, tenebrarum Principe genus humanum teneri captivum, illud ab ejus potestate esse liberandum; & ad hanc doctrinam firmandam, missionemque suam probandam miracula patrat; Et Dæmones ad destruendum suum Imperium ad hæc mirabilia suam opem adferre dicantur? Capiat, qui possit. Non dicat incredulus, bonos fuisse Genios, qui Christum adjuvissent; Etenim jam diximus, si Deus est, ad miracula patrandam Angelorum Ministerio non eget; si Prophetes est, ut alii delirant, nec Deus Angelorum eget ope, ut Missionem Divinam in Filio suo sive Propheta comprobet. Manet autem semper certa & indubia veritas, nec Angelos bonos nec malos sine speciali Dei permisso & data potestate quidpiam mirabile patrare posse. Igitur quia Christi Miracula non Angelica sed Divina sunt opera, Bonorum opem permittere, necesse non erat; Et quia credendum non est, Deum Dæmonibus malis ad Paganorum stultitias & jactantias potestatem concessisse; hinc eorum prætenfa miracula non Mirabilia Dæmonum, sed fabulæ Scriptorum sunt.

S O P H I S M A V.

*Christum Miracula in probam Divinitatis
& Missionis suæ non patrasse.*

Roussøjus est, qui prætendit Christum nulla prorsus miracula, aut saltem nequaquam in signum Divinitatis & Missionis suæ ea patrasse, ut jam alibi audivimus, imo cum alii petierint, ea dare recusasse. Audivimus, quodnam assertionis hujus paradoxæ testimonium adducat, (a) *Acceperunt, inquit, Pharisei & Scribæ dicentes: Magister volumus a te signum videre, ergo, infert, Jesus nullum adhuc signum fecerat; si enim fecisset, fuisset incomprehensibilis impudentia Hebræorum, Miracula quærere, cum tot tantaque patrata vidissent. Quid autem respondet Jesus? generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Ergo recusavit ipsis signum dare. Iterum, inquit, dixerunt Judæi ad Jesum: Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Quid ergo operaris? Ergo Christus necdum signum fecerat, & cum ad eorum instantiam pariter non fecit, ergo dare recusavit. Sane mirandum, Roussøjum impudentiam Hebræorum comprehendere non posse, quod Hebræi post tot miracula adhuc signum petant, cum & ipse tot miracula in Evangelio legat, & tamen contendat, Christum nulla fecisse. Sed quod erat illud signum, quod Pharisei post tot signa*

gna visa a Christo petebant? Legat S. *Marcum*, qui est fidus imitator S. *Matthæi*, legat S. *Lucam*, qui eandem Phariseorum petitionem refert: *signum de cælo* petebant, sic enim refert uterque: (a) Hoc ergo erat, quod *Jesus* recusabat. Sic pariter apud S. *Joannem*, signum de cælo petebant, ut crederent ipsi: Sic enim dicunt: (b) *Quod tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris . . . Moyses panem de cælo dedit manducare patribus nostris.* Signum ergo de cælo petebant. Et hoc eorum impudentiæ recusavit; & in primo loco respondit: (c) *Signum non dabitur, nisi signum Jonæ Prophætæ*, scil. Miraculum maximè Resurrectionis suæ. Sed, inquit impudentissimus *Rousseau*; (d) *Mors hominis non est miraculum; Neque miraculum est, quod corpus tribus diebus in ventre terræ fuit, reversum fuerit.* Huic impudentiæ suo loco respondebimus. Nunc audiamus, quomodo *Christus* Judæos apud *Joannem* confundat, cum signum de cælo reposcunt, (e) *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem verum.* Dicat igitur *Rousseau*, estne legitima consequentia: *Christus* petentibus non dedit signum de cælo, ergo nullum signum fecit? ergo *Divinitatem* & *missionem* suam signo non probavit? insignem sane *Philosophum*? sed legat loco a nobis citato, (f) *& videbit, Christum Divinitatem & Missionem suam* miraculis probasse. Videt se *Rousseau* confusum?

(a) Luc. XI. 16. (b) Joan. VI. 30. & sequ. (c) Matth. XII. 39. (d) Lettre de la Montagne p. 85. (e) Joan. VI. 32. (f) L. I. de Rel. revel. C. VI. §. 4. p. 195.

fusum, atque ut se extricet, subjungit: *Concedimus, alios textus presentibus contradicere, hos contradicere aliis, & propterea utrorum jure meo, & seligo sensum illum, qui rationabilior mihi videtur.* Falsum est hos textus sibi contradicere; quod *Jesus* deneget petentibus signum de cælo, non contradicit miraculis, queis dicit suam *Missionem* & *Divinitatem* probare, ergo ipsi non licet inferre: Ergo *Jesus* nullum signum fecit.

SOPHISMA VI.

Non omnia Miracula Jesu Christo esse digna.

Infirmos sanare, non est miraculum Deo dignum. *Dæmones* ex obsessis ejectos porcorum gregi immittere, ut aquis suffocentur. *Aquam* in vinum convertere, ut hospites se inebrient. *Arborem Fici* maledicto aridam reddere, quia tempore indebito fructus non habebat, non sunt miracula Deo digna, quia inutilia.

Prima cavillatio est *Baccalaurei de Prades*, (a) & ei jamjam respondimus, *Divinam potentiam* & *miraculum esse*, sine adplicatione remedii subito, instantanee, absente, integre, perfecte, constanter, jussu, nutu & voluntate infirmos & incurabiles sanare. Ceteræ sunt *Woolstonii* calumniæ verbo reprimendæ (b) *Dæmonibus* imperare, elementa transsubstantiare, arbori


(a) L. cit. p. 92. (b) Woolston, Disc. III.

præcipere, ut obediat, sunt signa Divinæ potentæ, & actus Auctoris naturæ. Glorificant igitur hæc Miracula Authorem naturæ, qui solus Deus est. Sunt homini utilia ut agnoscat, absque Dei speciali permissione Sathanam homini nocere non posse. Utile homini est scire, quod Deus etiam per miraculum, si velit, humanis indigentis, & quidem ad preces Sanctorum succurrere possit & velit. Architrclinus *proverbium* adfert, minime autem de commensalibus loquitur, & *in-ebriari* non exprimit in textu crapulari, sed ad satiætem & placitum bibere; Deinde eum maledicit ficulnæ, homini ostendit, quanta orationis & fidei sit virtus. Sic enim docebat Apostolos, cum altero mane dicerent: (a) *Ecce ficus, cui maledixisti, aruit: Et respondens Jesus ait illis, habete fidem Dei, Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mitte te in mare, & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Falso ergo dicit incredulus, huic objectioni responsum non esse. (b)*



CA-

(a) Matth, XXI, 21. sequ. (b) la Philosoph. sincere.



CAPUT TERTIUM.

DEMONSTRATUR, JESUM CHRISTUM PATIENTEM ET IN CRUCE MORIENTEM FUISSE MESSIAM ET REDEMPTOREM.

*Q*uæpinus Jesu Christi in terra ambulantis Imaginem priori Capiti præfigere, nunc & cum de Christo patiente & moriente sermo occurrit, ejusdem quoque imaginem præmittere, congruum ducimus. Sit ergo

IMAGO JESU CHRISTI PATIENTIS ET MORIENTIS

*Penicillo Abbatis Bellet adumbrata. **

*Q*uamquam incredulitas semper superba, nunquam rationabilis, de Ignominis Jesu Christi patientis scandalizetur, tamen hæc nunquam ejus Divinitatis splendorem obscurare poterant.

Invenio ipsas quasi Prophetarum Oraculis factas. Video eas propriæ electionis fuisse, enarrat enim

* Logo supra citato.

“ enim eas Apostolis suis secundum minutissimas cir-
 “ cumstantias, quasi hæc fuissent acceptissima decurfu-
 “ um suorum argumenta; quæ essent unicum deside-
 “ riorum suorum objectum; quasi essent gloriosa Vi-
 “ ctoriæ suæ arma. Et cum stupore comperimus, in-
 “ sensissimos inimicos suos in nullo alio, ac ipse vo-
 “ luit, & ipsis libere permittit, momento crudelissimas
 “ manus suas in sacratissimum Corpus suum proten-
 “ dere & injicere potuisse. Adeo certum est, ærum-
 “ nas, quas libere in se suscepit, ipsius gloriam immi-
 “ nuere non posse. Ut Filius hominis potuit, ut ego,
 “ omnia sufferre; ut Filius Dei non respuit malum,
 “ nisi peccatum, quia indignum plane; atque ut face-
 “ ret, in me mori peccatum, mortem subire digna-
 “ tus est.

“ Certe penetranti oculo opus est, Majestatem
 “ Dei retro velum tot humiliationum, quæ ipsam co-
 “ operiunt, intueri. Quanquam omnes contra ipsum
 “ conspirarint, tamen solennis Innocentiæ suæ conte-
 “ statio ex ipso inimicorum ore procedit. Testatur
 “ publicus Discipuli Traditoris conscientia remorsus.
 “ Testantur sibi contradicentia testimonia testium. Te-
 “ statur Judicis publica adsertio, & invita condemnan-
 “ tis sententia.

“ Opprobria, quæ suffert, magnitudinem animæ
 “ suæ produnt. Me convincunt, invincibilem ipsius
 “ patientiam, obedientiam integerrimam, Patris amo-

“ rem

“ rem illimitatum, & hominis charitatem inextingui-
 “ bilem esse. Veritates tantæ, adeo perfectæ virtutes,
 “ quæ in Mystério dolorum suorum exercentur, suntne
 “ spectaculum, quod humiliet ipsum? Dant nobis ine-
 “ luctabile duplicis naturæ testimonium; si id, quod
 “ patitur, ipsum hominem declarat, ille, quo suffert,
 “ modus eum Deum demonstrat. Non testatur ani-
 “ ma ipsius, nisi in conspectu inexorabilis justitiæ,
 “ quæ peccati pœnam reposcit, & cum solus coram
 “ Patre prostratus in terram vindicis iram placare lu-
 “ ctatur. Extra hoc tempus, & quoque tunc, cum
 “ omnis inimicorum furor in ipsum confurgit, dicit
 “ & monstrat, nonnisi executores voluntatis Altissimi
 “ esse. Dat convincentia independentiæ & supremæ
 “ potestatis suæ testimonia. Loquitur de Natione &
 “ de Discipulis suis, sicut in eorum cordibus legit præ-
 “ sentia & in decretis futura. Unico oris sui verbo
 “ prosternit Cohortes militum quærentium eum. Cum
 “ eorum manus essent clavis affixæ cruci, concutit ter-
 “ ram, & commovet eam in fundamentis suis, aperit
 “ monumenta, scindit velum templi, & operit cælum
 “ tenebris, quæ sunt inexplicabile Gentium oculis phœ-
 “ nomenon. Et cum expirans emittit clamorem vali-
 “ dum voce magna, nunquid annuntiat universo, quod
 “ voluntarie & libere animam suam emittat in manus
 “ Patris? Et hæc omnia prodigia quem non cogunt
 “ cum Centurione exclamare: *Vere hic Filius Dei erat.*

ALTERA JESU MORIENTIS IMAGO.

*Roussoji coloribus depicta. **

“ *M*ors Socratis tranquilla cum amicis confabu-
 “ rantis est dulcior, ac quæ desiderari pos-
 “ set. Illa Jesu Christi expirantis in tormentis, inju-
 “ riis, blasphemis ac illusionibus lacesciti, & ab inte-
 “ gro populo maledictis oppleti est horribilior, quæ
 “ timeri potest. Socrates venenatum calicem accipi-
 “ ens, benedixit illi, qui porrigit & plorat. Jesus in
 “ medio suppliciorum crudelissimorum orat pro lictoribus
 “ furentibus. Sic est, si vita & mors Socratis,
 “ sapientis sunt, vita & mors Jesu Christi, Dei sunt.
 “ Dicemus forse Historiam Evangelii ad divertendum
 “ inventam esse? Amici, sic Historias invenire non da-
 “ tur; Et facta Socratis, de quibus nemo dubitat, sunt
 “ minori testimonio roborata, ac ea Jesu Christi. Hoc
 “ esset difficultatem ampliari, non tollere. Impercep-
 “ tibilis esset, plures conpiratione hunc librum fin-
 “ xisse, ac unum solum ejus materiam & subjectum
 “ suppeditasse. Authores Hebræi in æternum similem
 “ talis Moralis tonum non tetigissent. Evangelium
 “ monstrat characteres veritatum adeo sublimium,
 “ adeo præcellentium, & adeo perfecte inimitabilium,
 “ ut Inventor majorem, ac ipsius Heros admirationem
 “ mereretur. „ Hæc profunda est illa impressio,
 “ quam

*.Loco supra citato.

quam Jesus Christus, suumque Evangelium in corde
 Authoris Æmilii produxit. Unum sicut alterum spiri-
 tum hunc alias superbum in admirationem rapuere.
 Verum post tot convincentia testimonia, post tam so-
 lennem protestationem, imperceptibile esse, Jesum
 Christum non plus ac hominem esse, ac Evangelium
 nonnisi opus Divinum esse, sistit, & ultra non progre-
 ditur; & a naturali sequela, ergo Jesus Christus est
 Deus, ergo ejus Evangelium est Divinum, abstinet &
 in malum Dæmonem actus, uno calami ductu elegan-
 tem imaginem suam destruit, deformat & extinguit,
 ut audiemus. Præmissa Jesu Christi patientis & mo-
 rientis Imagine juxta Prophetarum Oracula ipsum non
 alium ac adpromissum Messiam fuisse, monstramus.

SECTIO PRIMA.

ADIMPLETA SUNT IN JESU CHRIS-
 TO PROPHETARUM ORACULA DE MESSIA
 PATIENTE ET MORIENTE.

§. I.

*Danielis Oraculum de Christo sive Messia
 prædefinito tempore occidendo in Christo Jesu
 est adimpletum.*

*P*orphyrio adeo clarum & consummatum videba-
 tur Danielis Oraculum, ut non Propheticum,

sed Historicum, h. e. non ante prophetatus, sed post factum relatus sermo respici deberet, ut S. Hieronymus narrat. Incréduli, qui cunctas arripiunt contradictionis phantasias, Porphyrii pedem premunt, & cum famoso Collins (a) prætendunt *Danielis Oraculum esse post Christi mortem ejus scriptis intrusum*. Si Hebræi hoc dicerent, mirum non esset; quod autem, reclamante integra Hebræa natione, quæ Prophetarum sermones ut millocula Argos custodivit, talia incredulus dicere audeat, extremæ ipsorum impudentiæ signum est. Audiamus Oraculum, & ubi & quando ejus sermo adimpletus fuerit, disquiramus.

II. Daniel in Babylonia cum suis captivis recedebatur Prophetiæ Jeremiæ, post annos septuaginta liberandum esse populum, orabat ad Deum Patrum suorum, ut languentem e captivitate populum reduceret: *Adhuc me loquente in oratione, sunt verba Prophetæ (b) ecce Vir Gabriel, quem videram in visione a principio cito volans . . . dixit . . . tu ergo adverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta Hebdomades abbreviate sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadvertite: ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem Hebdomades*

(a) Piano di Profezia letteralmente esaminato G. V. n. 6. (b) Daniel, C. IX. 21, & sequ'

des septem & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursus edificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitatis, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Tria sunt, quæ principaliter in hoc Prophetico sermone Danieli ab Angelo revelata sunt. Post hebdomades septem & sexaginta duas venturum esse Christum Ducem & ungendum Sanctum Sanctorum. Post hebdomades sexaginta duas occidendum esse hunc Christum a populo, qui eum negaturus est. Et tunc civitatem & Sanctuarium esse dissipandum a populo, qui cum Duce venturus est; & tunc perseveraturam esse desolationem usque ad consummationem & finem. De prioribus modo, de posterioribus alibi discurremus.

III. Sub eo, qui venturus est, intelligi Messiam, quem & expresse *Christum & Ducem* dicit, ex textu aperte colligimus, in ipsius enim adventu *consummabitur prævaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, adducetur justitia sempiterna, implebitur visio & Prophetia*. Quis autem est iste, qui secundum Prophetarum Oracula hæc cuncta præstabit, & præstare poterit, nisi adpromissus Messias, quem appellat *Ducem, Christum*, h. e.

Messiam, sive ut Jacob dicebat, *qui mittendus est*; & qui solus *Sanctus Sanctorum* dici meretur; quia Filius Dei, & ipse Deus est. Habemus igitur Personam, nunc quæramus revelatum tempus. *Abbreviatæ* sunt, sive ut alii legunt, decisæ & definitæ sunt septuaginta hebdomades. Nempe fluent hebdomades septem & sexagintæ duæ, h. e. 69. & in septuagesima adimplebitur Prophetia. Sed quid sibi volunt hæ septuaginta hebdomades? Quilibet advertet, non esse hebdomades ordinarias & naturales, sed propheticas, quarum dies una facit annum, & hebdomades una annos septem. Hoc *grat's adseritur*, clamat incredulus, (a) & *possum ego dicere, hebdomades istæ erunt annorum, sed aut mensium aut sæculorum*. Utique hoc dicere potest, ut plura alia absurda dicit, sed non loquetur, ut Scriptura loquitur, & ut Hebræi calculare solebant. *Hebdomades hic intelliguntur de annis*, ait Aben Ezra, cui omnes Judæi consentiunt, *ac si dixisset Angelus: septuaginta Sabathici sunt decisi*. Et quem fugit, Annos & Hebdomades sabathicos Scripturæ usitatos esse? Quodsi igitur Hebdomades 10. Sabathicos computamus, invenimus tempus ab Angelo definitum conficere annos 490. Videndum igitur, a quo anno hi anni incipi & computari debeant. Quoque hæc expressit Angelus: *Scito ergo*, ait, & *animadvertite, ab exitu sermonis, ut iterum reedificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem & sexagintæ duæ erunt*. Sermo, qui exivit ad reedificandum Jerusalem, est decretum sive edictum Regis Persarum.

Exie-

(a) Examen de la Religion, Chap. VII. n. 9.

Exierant autem quatuor Edicta: primum a Cyro (a) secundum a Dario Hystaspæ (b) tertium ab Artaxerxe anno regni sui *Septimo* (c) Quartum ab eodem, anno regni sui *vigesimo* (d) Certum est, Hebdomades ab illo edicto computari debere, in quo data est facultas urbem ædificandi; hoc autem est edictum, quod exiit ab Artaxerxe Longimano anno regni sui *vigesimo*. Nam Edictum Cyri erat *pro templo reedificando*; Illud Hystaspis erat *Confirmatio prioris*. Primum Artaxerxis erat *pro auro, argento & pecoribus* ad sacrificandum; Quartum vero anno Regni *vigesimo* erat pro urbe ædificanda, in quem finem acceperat Nehemias Epistolas Regis, cum dixisset Regi: *mitte me in Jerusalem . . . & reedificabo eam; & Judæis: Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumatæ sunt igni, venite & ædificemus muros Jerusalem*. Et statim subiungit Prophetia, & *rursus* (scilicet ad Edictum sermonis hujus) *ædificabitur platea & muri in angustia temporum*; quod & ad has Epistolas factum fuit, cum in angustia temporum, hoc est, ubi ædificantes *una manu* extruebant muros, & *altera* gladiis & telis cædebant insultantes Samaritanos, & opus perficiebant *quingenta duobus annis*. (e) Controvertunt equidem eruditi non ab hoc posteriori anno vigesimo, sed a priori, anno regni septimo Artaxerxis, emanato Edicto hebdomades numerari debere; sed tota controversiæ ratio est mera chronologica, juxta eorum enim

I 4

cal-

(a) L. I. Esdræ I. 1. (b) ibid. C. VI. (c) ibid. C. VII. (d) L. II. Esdræ C. II. 8. (e) ibid. IV. 16. 17. & VI. 15.

calculus Christus esset serius, ac Prophetia exprimit, occisus; falluntur autem in eo, quia initium Regni Artaxerxis ab alio, ac nos, computent anno. Sequuntur enim Julium Africanum, qui ait: annum Artaxerxis vigesimum esse annum 4. Olympiadis 83. Proinde regnare cœpisse, ut referunt Historici, anno 1. Olympiad. 79. Sed in hoc errant. Cum enim anno 1. Olymp. 75. in pugna navali Salamina profligatus esset Xerxes, suis contemptui esse cœpit, ut refert Justinus (a) & Artabanus in spem Regni adductus est; Xerxes igitur, ne ipse, sui que Regno privarentur, filium suum Artaxerxem anno 1. Olympiad, 76. Regem constituit; hinc & Thucydides narrat, Themistoclem Ducem Atheniensem fugisse ad Artaxerxem, qui nuper regnare cœperat; fugit autem teste Eusebio (b) anno 4. Olympiad. 76. igitur non potest regnare cœpisse anno 1. Olymp. 79. ut opinio adversa contendit, quæ edictum in Prophetia memoratum anno Regni 7. non autem 20. editum vult. Cum igitur, ut diximus, Artaxerxes regnare cœpit anno 1. Olymp. 76. & decretum urbis reedificandæ edidit anno Regni 20. qui est annus 4. Olymp. 80. Igitur ab hoc anno Hebdomades 69. Prophetiæ computandæ sunt,

IV. Prophetia expresse ait: *Christus Dux a suis occidendus confirmabit pactum multis hebdomade una*, hoc est hebdomade 70. & in medio, ait ulterius, *deficiet hostia, & sacrificium*, cum nempe tunc occiso Christo sive Messia

(a) L. III, n. 1. (b) Eusebius in Chronicq,

Messia cessabit hostia & sacrificium, quia oblato præfigurato, qui juxta Scripturam *Messias* est, cessare debet figura, quæ Hostiæ & Sacrificia erant. Audivimus Hebdomades 69. facere annos 483. Si igitur juxta Prophetiam Christus confirmabit pactum hebdomade una, & in medio ejus occidetur, sequitur Messiam occidendum esse, anno post 486. una enim hebdomas facit annos 7. & medium hebdomadis est annus post octuagesimum tertium ejusdem.

V. Nunc videamus an hæc Danielis Prophetia literaliter adimpleta sit in Christo Jesu. Quando exiit Edictum Artaxerxis, erat annus 4. Olymp. 86. Quando Christus in Jordane baptizatus est, erat annus 2. Olymp. 201 si Olympiades istæ, quarum una habet annos 4. in quo Christus baptizatus est, & novum pactum suum h. e. Evangelium suum confirmare cœpit, habebis hebdomadas 69. sive annos 483; Si his addas tres annos prædicationis suæ, qua firmavit pactum, habebis annos 486, sive fluentem hebdomadem 70. Cum ergo anno inchoato prædicationis quarto occisus est, habes medium hebdomadis 70. in qua defecit hostia, quia Christus occisus fuit; cum autem certum sit, ut alibi dicemus, Christum occisum esse anno 1. Olymp. 202. Igitur in morte Christi literaliter adimpleta est Prophetia Danielis, Christus enim, de quo Prophetia loquitur, occidendus erat in medio hebdomadis 70. ab exitu sermonis, sive anno 486. Sed in hoc anno Jesus Christus a populo suo Hierosolymis occisus fuit, igitur in

in ipso adimpleta est Prophetia. Quis autem erat iste Jesus Christus, ac idem ipse, de quo dicebat Angelus; ipse enim erat *Christus*, ipse erat *Dux* juxta vaticinium *natus in Bethlehem*, ipse unctus *Domini*, ipse *Sanctus Sanctorum*, per quem *consummata est pravaricatio*, *finem accepit peccatum*, *deleta est iniquitas*, *adducta est justitia sempiterna*, *in quo adimpleta est visio & Prophetia*, quarum ipse solus unicum erat subjectum, ut partim probatum est, & probabitur ultra. Ipse in ultima, sive in Septuagesimæ Hebdomadis medio *confirmavit multis pactum*, sive Evangelium, & tunc defecit hostia & sacrificium, cum a populo suo occisus fuit, quia illa erat figura, ipse vero figuratus. Dico a populo suo, ab hoc enim, ut Propheta ait, *denegatus fuit*, cum enim diceret Pilatus: (a) *Ecce Rex vester*, clamabant, *Tolle, tolle, crucifige eum Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Et post mortem ipsius *dissipata sunt civitas & sanctorum*, & erat in templo *abominatio desolationis*, quæ *desolatio perseverabit usque ad consummationem & finem*, ut adhuc demonstrabitur. Igitur in Jesu Christo moriente ad literam adimpleta fuit Danielis Prophetia.

S. II.

(a) Joan. XIX. 14. 15.

S. II.

Adimpletum est in Christo Jesu Spiritus S. Oraculum in Libro Sapientiæ de Messia occidendo consignatum.

Prophetaverat Angelus Danieli Christum sive Messiam a populo suo occidendum. Et quæ crudelissimæ mortis hujus erat causa? Spiritus S. illam in Libro Sapientiæ distinctissimis expressit verbis.

Audiamus ea, & an in Christo Jesu fuerint adimpleta videamus. (a) *Circumveniamus justum*, dicebat Concilium malignantium in mortem Messiae conspirantium, *quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropertat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ*. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatae sunt viæ ejus. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videmus ergo, si sermones illius veri sunt, & tentemus, quæ futura sunt illi, & sciemus, quæ erunt novissima illius. Si enim est vere Filius Dei, & suscipiet illum, & liberabit eum de manibus Contrariorum. Contumelia & tormenta interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patienti-

(a) Sapient. II. 12. & sequ.

rientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

II. Qui legit conciliabuli hujus impietates contra Messiam (quis enim potest se dicere *Filium Dei*, & *Deum* vocare *Patrem* suum, quam ille, qui mittendus est, sive *Messias*) & confert illa cum iis, quæ *Jesús Christus* in *Missionis* suæ *Evangelio*, verbis aut factis, *Scribis*, *Pharisæis*, *Sacerdotibus* & *Judæis* exprobravit, mirabitur hic illa literaliter expressa, & ibi in *Jesú Christo* adimpleta, Quoties autem non concilium ini-erunt, ut interficerent eum? (a) *Collegerunt Pontifices & Pharisei concilium*, ait *S. Joannes*, & dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Ab illo ergo die cogitarunt, ut interficerent eum.* (b) *Querebant Principes Sacerdotum & Scribæ*, ait *S. Lucas*, *quomodo Jesum interficerent.* Et testatur *S. Matthæus*: (b) *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi . . . & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* Et *Sanctus Joannes* distinctis vicibus narrat, quomodo eum interficere & occidere quæsierint. *Quid multis? cum eum vinctum tenerent in Domo Caiphæ, dicebant omnes: (c) Reus est mortis, (d) & mane facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent? & vinctum adduxerunt*

(a) Joan. XL. 47. sequ. (b) L. XXII. 2. (c) Masth. XXVI. 3. 4. (d) ibid. 66. (e) Matth. XXVII. 1. seq.

xerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Et cum iste nullam mortis causam in eo inveniret, & vellet dimittere eum, iterato clamarunt: *Tolle eum, tolle eum, crucifige eum, crucifige eum, & sic morte turpissima condemnarunt eum.* Et sic adimpleta sunt in *Jesú Christo* omnia verba *Prophetiæ* hujus,

III. Hoc implacabile *Judæorum* in *Messiam* odium, metipse in *Persona Davidis* his verbis prophetice expresserat: (a) *Os peccatoris & os dolosi super me apertum est; Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrabebant mihi, ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Quam literaliter hæc omnia in *Christo Jesú* adimpleta sint, nil nisi *Evangelium* legere necesse est. Sed ad alia progrediamur *Prophetarum Oracula.*

§. III.

Adimpletum est in Christo Jesu Isaiæ de Messia patiente & moriente Oraculum.

I. **P**ostquam *Isaias* de glorioso & læto *Messie* *Adventu* & *pæce* *filie Sion* adferenda plurima prædixerat (b) subito immutat *stylum*, & quantum de ejus exaltatione prædixerat, tantum de ejus humilia-
tione,

(a) Psalm. CVIII. 2. & sequ. (b) Isai. C. LII. 1. seq.

tione, oppreffione & opprobriis narrat: (a) Sicut ob-
 stupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspe-
 ctus ejus, & forma ejus inter filios hominum (b) Quis cre-
 didit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum
 est? Prævidet Propheta populum obstinatum ea, quæ
 dicet, crediturum non esse. Et ascendet, inquit, sicut
 virgultum coram Deo, & sicut radix de terra sitienti. Non
 est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat
 aspectus, & desideravimus eum; despectum & novissimum
 Virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem; & quasi
 absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus
 eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostro
 ipse portavit; & nos putavimus eum quasi leprosum, & per-
 cussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est
 propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera no-
 stra: Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus san-
 ti sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque
 in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniqui-
 tatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, &
 non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ductus, &
 quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperit
 os suum. De angustia & de judicio sublatus est, generationem
 ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium:
 propter scelus populi mei percussit eum. Et dabit impios pro
 sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem
 non fecerit, neque dolus fuit in ore ejus. Et Dominus vo-
 luit eum conterere cum infirmitate. Si posuerit pro peccato
 animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domi-
 ni

(a) ib.d. 14. (b) ibid. C. LIII. I. seq.

ni in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit ma-
 nus ejus, videbit & saturabitur. In scientia sua justificabit
 ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse
 portabit. Ideo despertiam ei plurimos, & fortium divider
 spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, &
 cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit
 & pro transgressoribus rogavit.

II. In hac Prophetia antiquas Rabbiorum scho-
 las suspexisse Messiam, testantur innumera eorum te-
 stimonia, quæ Doctus Raimundus Martini Ord. Prædi-
 catorum in suo Fugione fidei (a) collegit. Quis potest,
 ait Grotius, (b) (licet & ipse postmodum Sociniana in-
 fectus tabe, ut Vitranga ipsi objicit, vacillavit, ut au-
 diamus in Sectione sequenti) Quis potest nominari aut
 Regum aut Prophetarum, in quem hæc congruant? nemo
 ane. Quem locum, subjungit, (c) de Messia interpretan-
 tur Chaldaeus Paraphrastes, Gemara Babylonica de Syne-
 drio, & in eam Rabbath & Salomon Farchi. Quod au-
 tem hæc Prophetia de verbo ad verbum in Jesu Chri-
 sto patiente & moriente adimpleta fuerit, videbit & pal-
 pabit quilibet, qui Jesu Christi patientis & morientis
 Historiam attento dispexerit; & cum Prophetia hæc
 contulerit, oculo ac animo. Singula deberemus re-
 petere verba, si cum qualibet passionis & mortis Jesu
 Christi circumstantia conferre, & singula in illis adim-
 pleta monstrare vellemus. Relinquimus igitur Lectori
 &

(a) P. III. Diff. 3, c. 17. (b) De Verit. Relig. Christ.
 L. V. §. 19. (c) ibid. in Nota.

& Auditori, ut hoc examen instituat, ei interea ipsam Jesu patientis & morientis Historiam Prophetis & Evangelicis verbis adornatam ponemus ob oculos.

§. IV.

Adimpleta sunt de patiente & moriente Messia in Christi Jesu passionis & mortis Historia Prophetarum Oracula.

I. **I**nsignior Prophetia esse non potest, quam ea Jesu Christi de propria passione & morte sua, non semel, sed sæpe, non vage, sed cum omnibus circumstantiis suis, non pavido, sed animo constanti, imo magno cum desiderio & voto prolata. Noverat, quod Sacerdotes & Pharisei ipsum occidere quærerent, sed ut homo, si Propheta non fuisset, quomodo mortis genus, & passionis circumstantias scire potuisset? (a) *Tulerunt lapides & iniecerunt in eum, sed ipse abscondit se. Voluerunt e supercilio montis præcipitare ipsum, (b) ipse autem transiens per medium ipsorum ibat.* Poterant igitur maligni vitæ ipsius millenis insidiari modis, sed se abscondere, ipsorum medium transire, mortis genus & circumstantias prædefinire; non hominis, sed Prophetæ, Messia & Dei est. (c) *Ecce ascendimus Jerusalem, dicebat duodecim, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis & Senioribus, & damnabunt eum ad mortem, & tradent eum gentibus, & illudent*

(a) Matth. XXVI. 2. (b) Lucæ XXII. 15. (c) Matth. XXVI. 4. 5. 46.

ei, & conspuent eum & flagellabunt eum, & interficient eum, & die tertia resurget, scitis, ait ad Apostolos (a) scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Scire mortis diem, horam, opprobrium & dolorem, & tamen non fugere, sed obviare, & hora instanti dicere (b) *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur &c.* Et ipso traditore cum turba, quæ caperet eum, veniente, ad suos dicere: (c) *Ecce appropinquabit hora, & Filius hominis tradetur . . . Surgite omnes, ecce appropinquavit, qui me tradet; & traditorem osculari, turbam vero ad terram prosternere, aurem abscissam tactu sanare, & tamen se in manus licitorum tradere, si hæc Prophetiæ, si hæc facta hominis sint, judicet, qui possit.* Possimus plura de Passione & morte sua Apostolis prædicta adferre, sed hæc sufficient, comprobare, Jesu Christi de passione & morte sua quam maxima fuisse Prophetiæ Oracula, quæ, quomodo impleta fuerint: videamus.

II. Messiam ab eo tradendum esse, qui sedebat ad mensam ejus, vaticinatus est Psaltes: (d) *Homo pacis meæ, in qua speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Ecce in Jesu Christo ad literam adimpletam (e) *Cum intinxisset Jesus panem, dedit Judæ . . . & dixit ei, quod facis, fac citius . . . cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo, ut tra-*

K

deret

(a) Matth. XXVI. 2. (b) Lucæ XXII. 15. (c) Matth. XXVI. 4. 5. 46. (d) Ps. XL. 10. (e) Joan. XIII. 26, sequi.

deret eum. Dicit Messias per Prophetam Zachariam :
 (a) *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*
 Et quanti venundatus est Jesus? (b) *Quid vultis mihi dare.* & ego vobis eum tradam, dicebat Judas ad Principes Sacerdotum. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Messias per os Zachariæ dicebat ad traditorem : (c) *Projice illud . . . decorum pretium, quo appetiatus sum eis; & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini.* Et ecce quomodo impleta sunt : (d) *Videns Judas . . . quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos . . . & projecit argenteis in templo.* Vaticinatus est David de Traditore : (e) *Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter.* Et ecce adimpletum. Et abiens laqueo se suspendit. De fuga Discipulorum suorum dicebat Zacharias : (f) *Percute pastorem, & dispergentur oves : & Matthæus scribit : (g) Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* De Jesu tradito, victo, & de Sacerdote interrogato dixit, ut audivimus Isaias : (h) *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducebatur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Matthæus enarrat : (i) *at illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham . . . Principes Sacerdotum autem & omne concilium querebant falsum testimonium adversus Jesum, ut eum morti traderent . . . Cum multi falsi testes accessissent . . . ait illi: nihil respondes ad ea . . .* *Jesus*

(a) Zachar. XI. 12. (b) Matth. XXVI. 15. (c) Zachar. ibid. 13. (d) Matth. XXVII. 3. 5. (e) Psal. CVIII. 8. (f) Matth. cit. 5. (g) Zachar. XIII. 7. (h) Matth. XXVI. 56. (i) Isai. LIII. 7.

Jesus autem tacebat. De opprobriis & contumeliis, quibus Messiam victum in illa nocte opplebant, vaticinatur Psaltes ; (a) *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adjuvet. Circumderunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens; sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea; factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei; Et de percussionebus, quibus plagarunt eum, scribit Isaias : (b) Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus me.* Et Evangelista Marcus de Jesu victo ita scribit : (c) *Et ceperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cedere, & dicere ei, prophetiza : & ministri eum alapis cedebant.* Prædixerat Jesus : (d) *Filium hominis damnabunt ad mortem, tradent gentibus, & flagellabunt eum.* Isaias addit : (e) *Et cum sceleratis reputatus est.* Videamus, quomodo hæc omnia ad litteram completa sint : (f) *Mane facto . . . ut eum morti traderent . . . victum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. . . . (g) habebat tunc (Pilatus) victum insignem, qui dicebatur Barrabas . . . (h) Quem vultis vobis de duobus dimitti? at illi dixerunt Barrabbam.* (i) *Tunc dimisit illis Barrabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis.* Isaias (k) flagellatum intuens Messiam ait : *Non est species ei atque decor, & vidimus eum, &*

K 2

non

(a) Matth. cit. 57. 60. 62. 63. (b) Psal. XX. 13. (c) Isai. L. 6. sequ. (d) Marci XIV. 65. (e) Marci X. 33. 34. (f) Isai. LIII. 12. (g) Matth. XXVII. 1. 2. (h) ibid. 16. (i) ibid. 21. (k) ibid. 26.

non erat aspectus, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum; & Pfaltes ait in Persona Messia: (a) Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Videamus & has Prophetias in Jesu Christo adimpletas. Tunc milites Praesidis, narrat S. Matthæus, (b) suscipientes Jesum (flagellatum) in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem; & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus & arundinem in dextra ejus, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum, & exspuentes in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus. (c) Exiit ergo Jesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum, & dicit illis Pilatus, Ecce homo, ac si diceret: Estne hic homo? (d) Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri clamantes: Crucifige, crucifige eum; & sic adimpleta est Prophetia, morte turpissima condemnemus eum; Et quod prædixerat Jesus: Et crucifigent eum (e) sicut Moyses exaltavit serpentem, dicebat Jesus de morte sua in initio Missionis suæ ad Nicodemum, ita exaltare oportet Filium hominis, sicut enim quem, qui aspiciebant, sanabantur, ita ut omnis, qui credit in Messiam crucifixum non pereat, sed habeat vitam æternam. Velut autem in Christo Jesu hæc figura adimpleri debeat, sic & altera de Messia debebat impleri figura de Isaac a Patre in monte Moria oblato

(a)

(a) Isai. LIII. 2. 3. (b) Psalm. XXI. 7. (c) Matth. XXVII. 27. & sequ. (d) Joan. XIX. 5. (e) ibid. 6. (f) Joan. III. 14.

(a) Tulit quoque, scriptum est de filio Isaac, ligna holocausti, & imposuit super Isaac Filium. Videamus quomodo & hæc figura in Jesu Christo cœu vero Messia fuerit adimpleta (b) Tunc ergo tradidit illis Jesum Pilatus, ut crucifigeretur, susceperunt eum & eduxerunt. Et bajulus sibi crucem exiit in eum, qui dicitur Calvarie locum; qui est adversa pars Morie. Describit ipse Messias ex ore Davidis crucifixionem suam: (c) Foderunt manus meas & pedes meos: Dinumeraverunt ossa mea. Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me. (d) Omnes videntes deriderunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput. (e) Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum (ipse enim portavit peccata multorum & iniquitates nostras, ut de Messia vaticinatus est Isaias) Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. . . Miser factus sum & conturbatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar, afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. . . Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum ipsum non est mecum. Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & qui juxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant, qui querebant animam. Ecce Imaginem Messia in cruce pendentis & morientis! Videamus, quomodo in Jesu Christo crucifixo expressa fuerit: Prætereuntes autem, narrat S. Matthæus, (f) blasphemabant eum, moventes

K 3

capita

(a) Genes. XXII. 2. (b) Joan. XIX. 16. 17. (c) Psalm. XXI. 17. (d) ibid. 8. (e) Psalm. XXXIV. 4. & sequ. (f) Matth. XXVII. 39. & sequ.

capita sua, & dicentes . . . salva te metipsum, si Filius Dei es, descende de cruce. . . Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere: Si Rex Israel descendat de cruce, & credimus ei (rememiscere, quæ scripta sunt in Prophetia Sapientiae) confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum, dixit enim, quia Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi sunt cum eo, improperabant ei. (a) Illudebant autem ei & milites accedentes . . . dicentes: si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. . . Stabant autem omnes noti ejus a longe mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilea hæc videntes. Scriptum erat de Messia: (b) Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Quoque hoc in Jesu adimpletum fuit. (c) Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum . . . & continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundinem, & dabant ei bibere. Prædixerat de Messia Isaias: (d) Et pro transgressoribus rogavit; Et hoc quoque Jesus in cruce adimplevit; (e) Jesus autem dicebat, Pater mitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Quoque prophetatum erat (d) Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sic quoque milites fecerunt: (e) Milites ergo cum crucifixissent eum; acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam; Erat autem tunica inconsutilis &

(a) Luca XXIII. 36. 37. 49. (b) Psalm. LXVIII. 22. (c) Matth. XXVII. 34. 48. (d) Isai. LIII. 12. (e) Luca XXIII. 33. (f) Psalm. XXI. 19. (g) Joan. XIX. 23. 24.

& desuper concepta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. Clamaverat Messias ore Prophetico Psalms ad Patrem suum: (a) Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et sic circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: (b) Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Clamabat rursus Messias ad Patrem suum: (c) In manus tuas Domine commendo Spiritum meum; Sic quoque Jesus in cruce clamabat: (d) Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit, sicut prophetaverat Daniel, (e) occidetur Christus; & prædixerat Isaias: (f) Tradidit in mortem animam suam. Ecce! sic in Passionis & mortis Historia Jesu Christi omnia de Messia patiente & moriente sunt adimpleta Prophetarum Oracula.

K 4

SEC.

(a) Psalm. XXI. 1. (b) Matth. XXVII. 46. (c) Psalm. XXX. 6. (d) Luca XXIII. 46. (e) Daniel. IX. 26. (f) Isai. LIII. 12.

SECTIO SECUNDA.

LIBERTINORUM IRRISIONES PAS- SIONIS ET MORTIS JESU CHRISTI, ET PRO- PHETARUM INTORSIONES DISSIPANTUR.

§. I.

Continuatio fabulae Judaeorum de Morte Jesu Christi.

Resoluerunt Senatores, Jesum Christum Hierosolymas pertrahere, ut eum ad mortem condemnerent. Miserunt igitur duos ex parvo Synedrio, qui venientes ad ipsum adoraverunt eum. Jesus persuasus, venisse eos, ut numero discipulorum accederent, benigne accepit illos: Senatores in gratiam recepti, dicebant: Prudentiores & aestimatores Hierosolymorum nos miserunt ad te, rogantes, ut venias ad urbem, quia audierunt te Filium Dei esse. Respondit Jeschu: Veritas ipsis dicta fuit. Faciam, quod rogant, sub ea tamen conditione, ut omnes magni & parvi Synedrii mihi obviam eant, & cum eo me recipiant honore, quo servi eorum suo incedunt Patrono. Quae cum acceptata fuisset, Jeschu cum illis se viae commisit. Cum venissent Nobis, quod prope Hierusalem est; ait ad Missos: Non est bonus asinus hic? & cum responderent, esse

esse unum, iussit adduci, & sedens super eum venit Hierosolymas. Tota ei occurrit civitas, ut reciperet ipsum. Durante hoc triumpho clamavit Jeschu ad populum: Ego sum ille, de quo prophetavit Zacharias hisce verbis: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.* Ad haec verba in lachrymas prorupit populus, stravit vestimenta in viis, & nobiliores nationis accesserunt Reginam Helenam, sive Holenam uxorem Regis Jannaei, quae regnavit post mortem mariti sui. Hic homo, dicebant, meretur mortem, quia seducit populum, permittite igitur, ut captivetur Seducitor. Faciatis, ut veniat ad me, respondit Regina, volo informari de hac re; dicunt enim omnes, ipsum stupenda miracula patrare. Ut obedirent Reginae, fecerunt ipsum venire ad eam. Audivi, ait, te magna miracula patrare, igitur & coram me patrabis ea. Vocate leprosum, ait Jeschu, & sanabo illum. Adduxerunt leprosum, & ipsi manus imponens & ineffabile nomen Dei pronuntians, in instanti sanavit eum. Afferte cadaver; attulerunt, & ipse eodem, quo leprosum sanavit, modo ad vitam resuscitavit mortuum. Et vos audetis dicere, dicebat Regina sapientibus, hunc hominem esse Magum? Nonne oculis meis vidi, ipsum patrare miracula ceu Filium Dei? Discedite hinc, & nunquam cum similibus delationibus venite ad me. Sapientes hac via delusi & repulsi, quaesierunt aliam viam, ut caperent eum. . . . Alligarunt ipsum columnae mar-

" marmoreæ, quæ erat in urbe, flagellarunt ipsum, &
 " imposuerunt ei coronam spineam, Hic filius adul-
 " terii sitiebat, rogabat aquam, & dederunt ei acetum.
 " Postquam biberat, clamabat voce magna, & dixit,
 " scripsit de me avus meus: *potaverunt me aceto, & de-*
 " *derunt in escam meam fel.* Lachrymatus est postea,
 " & dixit languendo: *Deus meus, Deus meus, quare*
 " *dereliquisti me?* Dixerunt Sapientes: Si tu es Filius
 " Dei, quare tu non te liberas ex manibus nostris? Re-
 " spondit Jeshu: Sanguis meus debet expiare pecca-
 " ta hominum, uti prædixit Isaias: *Livore ejus sanati*
 " *sumus.* Duxerunt postea Jeshu ad magnum & par-
 " vum Synedrion, & condemnaverunt eum, ut lapi-
 " daretur, & suspenderetur a ligno. Cum lapidatus
 " esset, voluerunt ipsum appendere ligno, verum om-
 " nia ligna, quibus volebant affigere ipsum, disrup-
 " ta sunt, quia Jeshu prævidens, se post mortem crucifi-
 " gendum esse, ineffabili nomine cuncta incantaverat
 " ligna. Verum Judas inutilem reddidit precationem
 " istam, qui ex horto suo produxit truncum enormis
 " dimensionis, cui affixus fuit. „

II. Estne ovum similius ovo, ac insulsa fabula fa-
 bulæ? Quæ est ergo illa Regina Helena, quæ Jeshu
 miracula patrantem declaravit Filium Dei? Quæ pepu-
 lit Calumniatores, & jussit suis nunquam reverti que-
 relis? Et hæc permiserit, Jeshu columnæ ligari, fla-
 gellari, lapidari, & cruci affigi? Sic mentitur iniquitas
 sibi; vident, & sentiunt perversi; Miraculis a Jeshu pa-
 tratis

tratis contradici non posse, igitur ad artes magicas &
 incantationes confugiunt; Verum potestne quid ab-
 surdus fingi, ac incantationes lignorum? Quis non om-
 ni in voce fabulas calumniæ adpersas deprehendit? Non
 est, cur longius his immoremur, cum nemo sanus his
 ineptiis tribuerit unquam fidem.

S. II.

Libertinorum contra Jeshu Christi patientis & morientis humilitatem argutiæ reprimuntur.

I. " *J. C.* " *Incine stupendorum miraculorum finis;*
 " ait Libertinus, (a) ut ille, qui impe-
 " ravit mari & ventis, cui obsecuta est natura vitæ &
 " mors, funibus ligatus raperetur ad supplicia, & con-
 " demnatus ad mortem in infami patibulo crucis mo-
 " reretur? Ubi ejus Divinitas? Aut hæccine Divinita-
 " tis commonstratio, ut prodigia Divina infami signa-
 " rentur mortis nota? Quid inutilius cogitari potest,
 " quam se dicere filium Dei, & tandem crucifigi?

II. Si Christiani essent, ut impij se jactitant; si
 verbo Dei revelato crederent, & mysterium mortis &
 crucis cum Judæis & Paganis sibi non scandalum & stul-
 titiam fingerent, hanc profundissimam Jeshu Christi pa-
 tientis & morientis humilitatem nequaquam irriderent,
 sed grati & humiliati adorarent. Omniscius Deus ab
 æterno

(a) Cap. I. Epist. IV.

æterno hominis libertate, ut rationalis esset, dotati lapsum præviderat; Exigebat suprema ipsius justitia proportionatam offensam, quæ infinita erat, reparationem; cum autem mors hominis lapsi, utut justus, huic reparationi nullo modo sufficeret, Mediatrix misericordia ab æterno decrevit, ut unigenitus Dei Filius de cælo descenderet, naturam humanam indueret, & ejus passione ac morte justitiæ rigori satisfaceret. Aut indignum est supremo Naturæ Domino, sese ad mortem in natura, quæ peccavit, assumpta, humiliare, & sponte ex amore humani generis, seu creaturæ suæ ab interitu redimendæ, subire mortem? Verum est, non debuit, sed voluit; & hinc infiniti sui amoris & misericordiæ indicium est. Voluit, & in hunc finem *Verbum caro factum est*, ut pati & mori posset. Permisit igitur, ut caperent, conspuerent, flagellarent, condemnarent ad mortem, & cruci affigerent, quia voluit, quia passione & morte sua justitiæ in infinitum offensam in rigore satisfacere, hominem peccatorem reconciliare, & sacrificium expiatorium & propitiatorum per crucem & mortem offerre & sufferre voluit, non enim propter propria, sed aliena, non propter sua, sed nostra peccata, quæ in se suscipere dignatus fuit, captus, attritus & oblatu est, quia voluit. Condemnatus est innocens, ut Judex publice contestatus & protestatus fuit. Mortuus est in cruce, sed ut Deus, non quidem secundum Divinitatem, quæ ex essentia sua immortalis & impassibilis est, sed secundum humanitatem, quam assumpsit, ut in Redemptionem humani generis & in gloriam Pa-

tris

tris pati & mori potuerit. Mortuus est sine infirmitatis & ostentationis signo. Prævidit & prædixit sæpe Apostolis suis, hunc finem miraculorum suorum, quæ Divinitatis suæ testimonia erant, esse futurum, ut moreretur in cruce. Moritur igitur, sed moriens precatus pro carnificibus, qui vitam tollunt & animam; Moritur, quia vult, & quando vult, & extremum vitæ suspirium est summe heroicæ charitatis, beneficentiæ, amoris & teneritudinis erga crudelissimos actus. Estne mors ista mors hominis aut Dei? Moritur in cruce, sed attendite, quæ Divinitatis suæ signa suam comitantur mortem, atque sequuntur. *A sexta autem hora*, narrat S. Matthæus, (a) *tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*. Et cum hora nona emisisset Spiritum (advertat Libertinus, Jesum non amisisse, sed emisisse Spiritum, non quia debuit, sed voluit) (b) *Velum scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & petra scisse sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Quæ priora prædicta fuerant a Propheta Joele dicente; (c) *A facie ejus contremuit terra, moti sunt cæli; Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*. Vere signa, quæ congruo adparuerunt tempore, ne mortem Jesu Christi impedirent, & eam non sine aperto Divinitatis testimonio relinquerent, quæ adeo Centurionis Pagani & eorum, qui cum

iplo

(a) Matth. XXVII. 45. (b) ibid. 50. & seq. (c) Joel. II. 10.

ipso erant, oculos & animam perculserunt, ut time-
rent valde & dicerent: (a) Vere Filius Dei erat iste.
Sic ajunt milites Ethnici, & Libertini in Religione Chri-
stiana enutriti, sed impii ab eo Apostatae, dicere au-
dent: Nil inutilius, nisi se dicere Filium Dei, & postea
crucifigi, & in cruce mori?

S. III.

Aliae Christi patientis & morientis irrisiones exploduntur.

I. “ **S**ummum Revelationis Christianae Caput, &
“ Mysterium est, Jesum Christum suis
“ se Unigenitum, & consubstantialem Patris Filium,
“ qui eum innocentissimum in mortem tradidit, sup-
“ pliciis crudelissimis ob servum rebellem & impium
“ submisit, & tandem in cruce dereliquit; sed Myste-
“ rium tam absurdum & incredibile non solum sanæ
“ rationi, sed & Divinæ Majestatis decoro, & filii in-
“ nocentissimi Honori, & Divinæ iustitiæ rigori aperte
“ contradicit, scil. Ens infinite magnum, Bonum & ju-
“ stum Personam proprii Filii sui dilectissimam & in-
“ nocentissimam tot opprobriis, tot suppliciis, & in-
“ fami demum crucis patibulo in gratiam servi rebellis
“ & infamis, quem facile in gratiam, si voluisset, reci-
“ pere potuisset, exponere. „ Ita multo risu, mor-
daciq; Satyra in hoc crucis mysterium debachatur Li-
bertinus

(a) Matth. XXVII. 55.

bertinus quidam in Epistolis, quas scriptas suos inter di-
scipulos nuper describendas & disseminandas in Univer-
sitate quadam celebri distribuit. (a)

II. Miror, Philosophos, qui spiritus fortes &
elegantes audiri volunt, illud, quod in Majestatis Divi-
væ & in virtutum humanarum gloriam & decorem ce-
dere contendunt, in ejus opprobrium & imminutio-
nem verti prætere. Etenim juxta eorum principia,
quæ actio Principe Monarcha dignior ac gloriosior,
quam eo subditorum intendere amorem, ut in salutem
eorum cariores & sibi intimos, imo seipsum ærumnis,
periculis atque doloribus crudelissimis exponere non
dubitet. Plutarchus, (b) Titius Livius, (c) Valerius
Maximus (d) & post ipsos Spiritus elegantes Sæculi no-
stri, quos Philosophos dicunt, quasi stupendi Herois-
mi actus celebrant atque commendant, Lucium, Juni-
um, Brutum, Manlium Torquatum, Marcum Fabium,
& Annium Torquatum, suos respective filios in bonum
Reipublicæ ad extrema condemnasse supplicia. Quan-
tis non extollunt laudibus Marci Attilii Reguli animum
generosum, cum ob Patriæ Romanæ commodum in
vincula & carceres Carthaginem reverti decrevit? Et
Deo virtutum omnium Authore, Doctore & Exemplo
indignum sit, indecorum ac indecens, ut suum offerat
filium, non pro una urbe & natione sola, sed pro
mundo universo, totoque humano genere, quod sine
hoc

(a) Epistol. III. (b) Vit. Hom. Illustr. (c) In Decad.
(d) in Annal.

hoc infiniti amoris & misericordiae remedio aeternum periisset; (aliter enim suprema iudicat iustitia offensas infinitas, ac stulta mens hominum) Filius, qui hanc Redemptionem humani generis & praevitit, & decrevit, eam sponte atque liberrime complevit.

III. Novi, quid dicant increduli, filios scilicet Romanos iuste a Genitoribus suis ad mortis supplicium fuisse damnatos, cum Religio Christiana Jesum declararet innocentem. Gaudeo, Libertinos ad Religionis Christianae appellare testimonium, igitur & ejusdem Evangelicam audiant disciplinam. *Beati*, inquit Jesus hujus Evangelii Author & Doctor, (a) *Beati*, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; & aperte ipsius Apostolus scribit: (b) *Omnes, qui pie volunt vivere. . . persecutionem patientur.* Hic igitur Jesus (c) *qui cepit facere & docere, h. e. qui prius ea facit, quae docuit; qui passus est pro nobis, & relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (d) *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se injuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut, peccatis mortui, iustitiae vivamus, cujus livore sanati sumus.* Hic, inquam, Jesus nec propriae nec Patris derogavit dignitati, sed exaltavit illam, cum se virtutem amantibus praebere Praeceptorum atque Exemplum. Sed miror, hanc Ethicam

Evan-

(a) Matth. v. 10. (b) II. ad Timoth. III. 12. (c) Actor. I. 1. (d) I. Petri II. 21. & sequ.

Evangelicam de passione innocentis Libertinis arridere non posse, qui in tam immoderatas antiquorum Philosophorum effunduntur laudes, qui docuerunt, suoque monstrarunt exemplo, hominem justum & innocentem non suum perdere honorem & aestimationem, sed multum augere, si impiorum perferat molestias, persecutiones & mortes. *Immensa*, inquit cum Diogene Laertio (a) *est gloria, quam Socrates sua acquisivit persecutione & morte.* Admirantur & commendant Epictetum in medio ærumnarum gloriantem: (b) *Mancipium fui, claudus, miser & afflictus, sed Diis charus.* Denique Platonis ad sidera tollunt sententiam dicentis: (c) *Ponamus hominem justum, simplicem, ingenuum, qui talem se non simulat, sed est, qui nec timore infamiae, neque donis, nec alio motivo a proposito suo dimovetur, sed constans in innocentia sua ad mortem usque perseverat.* Illi, qui magis impietatem quam virtutem diligunt, eum pronuntiabunt despectum, flagellis, funibus & patibulo dignum, ut cognoscere faciant, non veritatem, sed adparentiam boni desiderabilem & aestimabilem esse; Verum haec est injustitia extrema, & veritas oculis Dei abscondi non potest.

Hæc legunt in Platone, hæc commendant & prædicant in Socrate, & postea dicere non verentur, ignominias, opprobria, persecutiones & mortes innocentis sanæ contradicere rationi, & violare Majestatem Patris æterni. Hæc est connexio principiorum, & cate-

L

na

(a) Vit. Philosoph. L. II. (b) Aul. Gell. Noct. Attic. L. II. (c) De Republ. Dial. 2.

na sermonum ipsorum, qui spiritus elegantes & fortes se dicunt.

§. III.

Libertinorum contra Prophetarum Oracula de Morte & Passione Jesu Christi dubia resolvuntur.

I. Imperceptibile est, ajunt Libertini, ea, quæ attulimus de Christi passione & morte Oracula, de Messia a Prophetis prædicta esse, aut tam clare, ut supponimus & contendimus, in ipsum referri posse; etenim, inquiunt cum Authore Examinis, ^(a) Si Prophetiæ istæ fuissent claræ, Judæi, qui earum Depositarii erant, absque dubio Jesum Christum suum agnovissent Messiam, & cum Prophetias in ipso adimpletas vidissent, ad ipsum conversi fuissent. Igitur vel Prophetiæ, quas attulimus, non sunt claræ, aut si si sunt claræ, in Messiam, consequenter in Jesum Christum referri non possunt.

II. Huic equidem Evremondi (si tamen Examinis Author est) jamjam respondimus; verum cum noviter insistant, ut noviter respondeamus; oportet. Passionem & mortem Jesu Christi in Prophetarum Oraculis tam clare depinximus, ut, quod contradicant, non inveniant, igitur ut incredulitatem suam saltem quodam

(a) Exam. de la Relig. Chap. VII. 2.

dam contegant pallio, illam Judæorum incredulitate tegere moliantur; Verum quam inepte, videamus. Pars plurima Libertinorum est Revelationis inimica, jactitat tamen, Religionem naturalem se profiteri, & vi hujus, existentiam, unitatem, & providentiam Summi Numinis; Quid si igitur quidam assurgerent (ut hodie consurgunt plurimi) & Naturalistarum spernerent atque rejicerent argumenta, dicentes: Si argumenta Naturalistarum essent clara & evidentiæ, in mundo non fuissent, nec essent Athei, Manichæi, & Epicuræi. Quid responderent Naturalistæ? Concederentne propter horum obstinatum intellectus, & pravitatem cordis, argumenta naturalia aut esse obscura, aut impropria aut intorta? Minime sane, si norunt, quantum extravagentur hominis sensa, quantum pervertant educationis præjudicia, & passionum deliria; Cum igitur novimus, Judæos in eo, quem expetebant, Messiam, non nuditatem & paupertatem, non opprobria, passiones & mortes, sed divitias & triumphos, pompas & gloriam, honorem & terrena fastigia expectasse, ut ex Josepho ^(a) satis colligimus; igitur mirari non licet, si ipsi his oculis & animis instructi in Prophetarum Oraculis passionem & mortem Jesu Christi clare & aperte testantibus nec Messiam viderunt, nec agnoverunt, nec ad ipsum conversi fuerunt. Sed hæc jam alibi monuimus; igitur cum Eusebio Cæsariensi incredulos nostros, hæc nobis objicientes, cordate compellamus: " Dic mihi marmoreum caput; sed in conscientia tua responde "

L 2

" mihi;

(a) V. de bello Judaico L. IV. C. 37. & L. VII. C. 30.

“ mihi: Quem sapientem, aut quem alterum homi-
 “ nem clarum, nisi unicum & solum Salvatorem no-
 “ strum, potes ostendere mihi, cujus stirps, patria,
 “ locus, nativitatis tempus, vitæ sanctimonia, prodi-
 “ gia, sermones, passio, mors, resurrectio, & aliæ
 “ illustres actiones suæ tot ante sæcula prædictæ fuere? „
 Fateor & Hebræi olim, & Mahumedani hodie antiqua
 Oracula in suos detorquent Principes & Monarchas.
 Verum anne omnes, quærit Origenes? *Vivit Deus! non
 alteri nisi Jesu Christo conveniunt. Cui enim adpropriari
 possint verba Psalmistæ: Foderunt manus meas & pedes
 meos: Diviserunt vestimenta mea, & super vestem meam
 miserunt sortem: Potaverunt me aceto, & in escam meam
 dederunt fel. Dicant, si norint.*

III. Verum quid ex Prophetarum Oraculis con-
 cludi potest, regerit citatus Examinis Author, (a) *cum
 eorum Enthufiasmus (Prophetiæ) sit totus humanus.* Si-
 mili incredulo non melior erit responsio quam ista:
 Periclitare paulisper, Amice, similem humanum Divi-
 nandi Enthufiasmum. Prophetiza & profer nobis Pro-
 phetiam quandam, verum ut sit similis illis, quas de
 Passione & morte Messæ attulimus, & in Christo Je-
 su completas ostendimus, scil. ut sint naturali lumini
 absconditæ & imperviæ, ut ad locum tempus & perso-
 nam sint fixæ. Nolo ut Oracula tua plura præcedant
 Sæcula, donec compleantur; Minime, nolo Enthufias-
 mum tuum in remota penetrare Sæcula, sat est, si an-
 nis

(a) cit. Examen de la Religion. Chap. 7.

nis solum viginti oraculum tuum anticipet factum. V-
 debimus post lustra quatuor, an veritatem dixeris nobis.
 Nonne humanitatem pudere decet, Philosophum, si tam-
 en Philosophus est, ex contradicendi pruritu ad tam
 insulsa & absurda posse evagari effugia? sed inquirunt:

§. IV.

Ceteræ contra Prophetias adductas Libertinorum argutiæ retunduntur.

I. **C**hristiani neglecto originali textu Prophetarum
 Oracula secundum proprium interpretantur
 genium, & faciunt, Prophetam dicere ea, quæ nec
 unquam somniavit; & Ecclesia Prophetiis ea jungit, quæ
 placent, ut Propheta sic, & non aliter dixisse videatur.
 Videamus, quomodo has calumnias Libertini probare
 conentur. Quoad primum, ajunt, Christiani, legunt
 in sua Vulgata: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, cum
 tamen in textu originali habeatur: Quasi leo manus me-
 as; loco enim 𐤒𐤃 Caarù, quæ vox latine *foderunt* expri-
 mit, habet originale 𐤒𐤃𐤕 Caarù, quod latine *quasi leo*
 significat; textus igitur *foderunt manus & pedes meos* de-
 bet reddi: *Quasi Leo manus meas & pedes meos.*

II. Verum, dicat mihi eruditus Lector, quem sen-
 sum referunt hæ voces: *Quasi Leo manus meas & pedes
 meos*? Cedo equidem, recentiore Hebræorum co-
 dicem loco Caarù *foderunt* habere Caarù *quasi Leo*; sed

antiquum & primogenium Davidis codicem habuisse Caarù aperte falsum adparet; Septuaginta enim, quos Linguae Orientalis ignaros nemo sanus dicere praesumat, cum verterent Hebraeum textum ita verterunt: ὤρουξαν χεῖρας μὲν Πόδας ἔπαισαν *foderunt manus meas & pedes meos.* Et S. Justinus M. qui hoc Oraculum ex Septuaginta adducit, debet in textu Hebraico sui temporis non Caarù, sed Carù invenisse, alias, uti assolet, textus corruptionem exprobrasset; sic & Aquila Ponticus invenisse debet, qui textum Hebraicum traducens non traduxit quasi *Leo*, sed in favorem Hebraeorum *dehonorarunt* manus meas & pedes meos. Textum Hebraicum juxta Vulgatam nostram legi debere, non solum Catholici omnes, sed & Protestantes Munsterus, Forsterns, Merçerus, Tremelius & Junius testantur, qui postremi ita scribunt: *Est in vulgatis Exemplaribus habeantur verba, quae sonent (tanquam Leo manus meas) tamen ad hanc lectionem, quam servamus, videl. foderunt manus &c.* Non rancum argumentationis ordine, & simplicitate constructionis adducimur, Graecorumque exemplo, sed etiam duplici Massoritharum testimonio, nam testantur in bona librorum emendatiorum parte scriptum fuisse ^{למאן} Caarù, quod est *foderunt*.


III. Nunc & alteram demonstrationis partem adduciamus: *David dixit, sunt verba Authoris Examinis (a) Dominus regnavit, decorem indutus est.* Et Ecclesia dicit, quod *David in Nationibus dixerit, Dominus regnavit a ligno*, quod falsum est:

(a)

*Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicens in Nationibus
Regnavit a ligno Deus.*

Sed David hæc verba nullibi dixit, quacunquē deum quis versione utatur. Legitne Libertinus iste omnes Psalmorum versiones? Adparet, quod non. Primo falsum est, Ecclesiam aut Canone aut Decreto stabilivisse, sic legendum esse: *Dominus regnavit a ligno*, sed *Venantius Fortunatus* fuit, qui in hymno suo hæc Davidis verba attulit. Sed, ait Libertinus, in nulla versione hæc verba Davidis leguntur; sed falsum est secundo, verba ex hymno allata desumpta esse ex versu I. Psalmi XCII. *Dominus regnavit, decorem indutus est*, ut falso Libertinus arguit; sed desumpta sunt ex versu IO. Psalmi XCV. ubi legitur: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit.* Falsum est igitur tertio, in nulla versione hæc verba legi: *Dominus regnavit a ligno*, sic enim hunc versum habet antiqua Itala; etiam Tertullianus, S. Augustinus, S. Leo Magnus, Vigilus Tapfensis & alii Patres ex ea referunt, quia hac Itala cum antiquo Occidente uti solebant. Ita & Psalterium Romanum Carbojense, Carnutense & alia hunc versum in dicto Psalmo XCV. exhibent. Quid? quod nuper eruditissimus Bianchi Romæ in lucem edens Psalterium Græcum in literis latinis in una, & Italiam antiquam in altera columna dictis verbis Davidis, *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit*, exhibet in Græca ἀπόξυχα.

& in Itala a ligno, ostendens, sic habuisse septuaginta proinde & eos sic invenisse in Hebræo, quæ tamen vocabula perfidi Judæi, ut ipsi objiciunt Patres, ex sequioribus Codicibus Hebræis expunxerunt. Credo hæc satis Libertini nostri aut imperitiam aut astutiam repressam esse.



CAPUT QUARTUM.

DEMONSTRATUR, PROPHETARUM ORACULA DE MESSIÆ A MORTUIS RESURRECTIONE, IN COELOS ASCENSIONE ET SPIRITUS SANCTI MISSIONE IN JESU CHRISTO FUISSE ADIMPLETA,

SECTIO PRIMA.

AFFERUNTUR PROPHETARUM DE MESSIÆ RESURRECTIONE, ASCENSIONE ET SPIRITUS SANCTI MISSIONE ORACULA, ET MONSTRANTUR IN JESU CHRISTO ADIMPLETA.

§. I.

§. I.

Adimpleta sunt in Christo Jesu Oracula Prophetarum de Messia a mortuis Resurrectione.

I. **M**essiam crudeliter occisum & in cruce mortuum, ut in Capite priori ex Prophetarum Oraculis didicimus, cum mortuis sepultum iri, Regius Psaltes hæc describit Oraculis: (a) *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno (h. e. tumulo) appropinquavit. Estimatus sum cum descendentibus in lacum (h. e. sepulchrum) factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber; sicut vulnerati dormientes in Sepulchro, quorum non es memor amplius . . . Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & umbra mortis.* Hanc Messia sepulturam quoque Jeremias hæc depingit verbis: (b) *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos; circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum . . . conclusit vias meas lapidibus quadris.* Anne in nomine suo hi Prophetæ de sepultura sua locuti fuere? ubi legimus, Davidem aut Jeremiam cum mortuis sepultum? De Messia igitur, quem occisum & mortuum vaticinati fuerant, loquuntur sepulchro. Verum, ergone corruptionem videbit in tumulo Messias, ut omnes vita defunctos in cineres abiisse novimus? Minime, sic enim de Messia sepulto loquuntur Oracula. (c) *Propter hoc latatum est cor meum, & exultavit lingua mea,* ait Psaltes Regius in Persona Messia

(a) Psalm. LXXXVII. 4. & sequ. (b) Thren. III. 6. sequ. (c) Psalm. XV. 9. sequ.

fiæ, insuper & caro mea requiescet in spe; Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem; Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiæ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua in finem. Fuitne David, cujus caro requievit in spe, cujus anima non est relicta in inferno (usque dum resurgeret primogenitus mortuorum) estne David ille Sanctus, qui non vidit corruptionem, & cui notæ factæ sunt viæ vitæ? Ergo non in sua, sed in Messæ Persona vaticinatus est ista. Hoc erat stringens illud argumentum, quo Petrus Apostolus in die Pentecostes circumstantes convincebat Judæos: (a) Viri fratres, ajebat, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David; quoniam defunctus est & sepultus, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus (addit textus Græcus τὸ κατὰ ἑμὴν ὀστέον) ut sederent super sedem ejus; providens locutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Clarius de hac Messæ e inferis sive sepulchro resurrectione vaticinatus est Osee: (b) Ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos; vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus; Non enim de se ipso, sed de alio, & quo? nisi Messia hanc in die tertia resurrectionem vaticinari potuit.

II. In

(a) Act. II. 29. sequ. (b) Osee VI. 2.

II. In quo autem impleta sunt hæc Oracula, nisi in Jesu Christo? Audiamus sacri Evangelii Scriptores: (e) Cum autem sero factum esset (nempe in Parasceve, ubi Jesus cruci affixus emiserat Spiritum) venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph . . . Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus, & accepto corpore Joseph involvit illud in syndone, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, & advolvit saxum magnum ad ostium monumenti . . . Addit S. Joannes: (b) Venit autem & Nicodemus . . . ferens mixturam myrrhæ & Aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu & ligarunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Sic igitur in sepultura Jesu Christi adimpleta sunt Prophetarum Oracula, magisque in illa Judæorum præcautione: (c) Altera autem die, quæ post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisei ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodire sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant Discipuli, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit a mortuis; & erit novissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus . . .

III. Vidimus igitur Jesum Christum secundum Pro-

(a) Matth. XXVII. 57. sequ. (b) Joan. XIX. 39. sequ. (c) Matth. XXVII. 62. sequ.

Prophetarum Oracula sepulchro inclusum, nunc & videamus e sepulchro resurgentem. Testabantur Sacerdotes & Pharisei Jesum Christum prædixisse: *Post tres dies resurgam.* Prædixit, sæpiusque prædixit; cum Petrus in nomine omnium ipsorum confiteretur Christum (h. e. Messiam) & Filium Dei vivi, *Cœpit Jesus ostendere*, narrat S. Matthæus, (a) *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi & tertia die resurgere.* (a) *Assumens eum (equidem) Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit a te Domine, non erit tibi hoc; sed conversus dixit Petro: vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Repetit Jesus hanc Prophetiam in Galilæa, dicens, (b) *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget.* Et rursus ait: (c) *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.* Ipsi equidem nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intellexerunt, quæ dicebantur. Sed post Resurrectionem, ut audiemus, comparans Angelus dixit ad mulieres: (d) *Recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere.* Idem

&

(a) ibid. 22. (b) Idem XVII. 21. 22. (c) Lucæ XVIII. 31. sequ. (d) Lucæ XXIV. 6. sequ.

& ipse Jesus: *aperiens illis sensum, ut intelligerent Scripturas, dixit eis: (a) Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die.* Non autem solum Discipulis suis, sed & prius Scribis & Phariseis Resurrectionem suam prædixerat. Cum enim quærent ab eo signum videre, respondit. (b) *Generatio mala & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete; sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus Noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Idem in eadem occasione dicebat Jesus: (c) *Solvite templum hoc, & tribus diebus suscitabo illud; quoque hoc objiciebant ipsi Judæi: Ille autem dicebat de templo corporis sui, ait Evangelista. (d)*

IV. Audivimus Prophetarum, & Jesu Christi de sua Resurrectione vaticinia, videamus igitur & ea ad litteram completa: (e) *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi venit Maria Magdalene & altera Maria, videre sepulchrum; Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum; Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix; Præ timore autem exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui; Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, queritis, non est hic, surrexit enim, sicut dixit, venite*

(a) Ibi 46. (b) Matth. XII. 39. sequ. (c) Joan. II. 19. (d) Ibid. 21. (e) Matth. XXVIII. 1. sequ.

venite & videte locum, ubi positus erat Dominus. Ne autem diffiderent, ipsum vere surrexisse: (a) Ecce Jesus occurrit illis (cum exierunt cito de monumento . . . currentes nunciare discipulis ejus) dicens: Avete. Ille autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Vidit autem & Magdalena Jesum stantem, cum ploraret ad sepulchrum: (b) Apparuit & Simoni, (c) & Discipulis euntibus in Emaus: (d) Et stetit in medio eorum, (e): qui foribus clausis congregati erant propter metum Judæorum, . . . & dixit eis: pax vobis. Ego sum: nolite timere, conturbati vero & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit, quid turbati estis? . . . videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum, palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes; adhuc autem illis non credentibus . . . dixit, habetis hic aliquid, quod manducetur, at illi obtulerunt partem piscis assi & favum mellis, & cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Post dies octo (f) iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis (qui cum dixerunt ei discipuli: vidimus Dominum, respondit: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam) venit ergo Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit pax vobis. Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et asser-

manum

(a) Ibid. 9. sequ. (b) Joan. XX. 14. (c) Lucæ XXIV. 34. (d) Ibid. 15. (e) Ibid. 36. & sequ. (f) Joan. XX. a 24. & sequ.

manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis.

Apparuit quoque undecim discipulis, (a) qui abierunt in Galileam in Montem ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt. Manifestavit se, iterum discipulis ad mare Tiberiadis; ubi dicit eis Jesus: (b) venite, prandete, et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es, scientes, quia Dominus est; et venit Jesus, et accepit panem, et dedit eis, et piscem similiter. Denique, ut narrat Apostolus, (c) visus est plusquam quingentis fratribus simul.

V. Ex hucusque adductis abunde liquere existimo, Prophetarum oracula de Messia a mortuis resurgente in Jesu Christo in cruce mortuo, sepulto, & die tertia a mortuis resurgente, & toties (d) se ipsum vivum in multis argumentis per dies quadraginta præbente & discipulis apparente ad literam esse adimpleta. Aliter equidem credit & sentit Judæorum perfidia atque astutia. (e) Quidam (enim, narrat S. Matthæus) de custodibus venerunt in Civitatem, et nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant (ut supra audivimus) et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormien-

(a) Matth. XXVIII. 16. 17. (b) Joann. C. XXI. 1. & sequ. (c) 1. Coriath. XV. 6. (d) Actor. 1. 3. (e) Matth. XXVIII. 11. & sequ.

mientibus: et si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. Et quis crederet, ad hæc perfidorum Judæorum castra, Jesu Christi Resurrectionem a mortuis stulte negantium, transit hodierna Libertinorum & incredulorum turba, Norunt, hoc Resurrectionis mysterium esse principatissimum Christianæ Religionis dogma, & absolutissimum veritatis ipsius argumentum; igitur omnem intendunt nervum atque conatum, ut hanc tot argumentis invincibilibus firmatam doctrinam subvertant atque elidant; Verum quam irritè & incassum, in Sectione sequenti monstrabimus, & ea, quæ hic desiderari videri queunt, multo robore & claritate dilucidabimus.

S. II.

Adimpleta sunt in Christo Jesu Prophetarum de Messia ad cælos ascendente oracula.

I. **V**idit Regius Propheta David Messiam de morte & inferno triumphantem, & omnibus gentibus terræ regnaturum, ad cælos ascendentem, prophetico igitur spiritu omnes gentes ad plausus & triumphos invitat, dicens: (a) Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis; Quoniam Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram. . .

Ascendit

(a) Psalm. XLVI. 2. sequ.

Ascendit Deus in Jubilo, & Dominus in voce tubæ. Psal-
lite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite.
Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Regna-
bit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam
suam; Principes populorum congregati sunt cum Deo Abra-
ham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.
Loquitur hic Propheta de Patriarchis, Prophetis & ju-
stis V. T. quorum animas ex inferis liberavit, & ascen-
dens in cælum secum in Regnum gloriæ deduxit. Can-
tate Deo, ait, (a) Psalmum dicite nomini ejus, iter fa-
cite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. . .
Deus in loco sancto suo, Deus, qui inhabitare facit unius
moris in domo, Qui educit victos in fortitudine . . .
qui habitant in sepulchris. . . (b) Ascendisti in altum,
cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. cet. (c)
Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei,
qui est in Sancto. Prævenerynt Principes conjuncti psal-
lentibus cet. Et quinam sunt Principes isti? Principes
cælorum, quos vidit & audivit Regi Gloriæ in cælos
ascendenti aperire portas cælorum inquietes: (d) Quis
ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto
ejus? Innocens manibus & mundo corde. . . Attollite
portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, &
introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus
fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite por-
tas Principes vestras & elevamini portæ æternales, & in-
troibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus

M

vir-

(a) Psalm. LXVII. 5. & sequ. (b) Ibid. 19. (c) Ibid.
25. sequ. (d) Psalm. XXIII 3. sequ.

virtutum ipse est Rex gloria. Denique vidit Regius Pfaltes, quomodo Pater Filium suum unigenitum & ab æterno genitum fecit sedere a dextris suis, donec ponat inimicos scabellum pedum suorum: *Dixit Dominus, ait, (a) Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. . . Dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum Principium in die Virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te. Juravit Dominus, & non poenitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quis autem est iste, qui cœlos ascendit, de quo loquitur Propheta, nisi ipse adpromissus Messias, qui est vere filius Dei, & filius hominis? Filius Dei, quem Pater ab æterno genuit; filius hominis, qui descendit de cœlo, & factus est homo, ut humanum redimeret genus; Hic solus potuit ascendere in cœlum, quia prius descendit, ut Jesus monstravit Nicodemo, dum de Messia curreret sermo: *(b) Nemo ascendit in cœlum, dicebat Jesus, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.*

II. Quis autem fuit iste filius hominis, nisi ille, in quo impleta sunt hæc Prophetæ Oracula? scilicet *(c) Jesus Christus, qui usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est; quibus & præbuit seipsum vivet post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

Præ-

Prædixerat hoc sæpe Discipulis suis, quod debeat ascendere ad Patrem. *(a) Adhuc modicum tempus, agebat, vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit. . . (b) Vado parare vobis locum. . . (c) Ad Patrem vado. . . (d) Expedi vobis, ut ego vadam. . . (e) quia ad Patrem vado. . . (f) Exivi a Patre & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Hoc sæpe repetit, ut in Evangelio S. Joannis videre licebit. Denique a mortuis resurgens, & comparens Magdalenzæ, dicit ei: *(g) Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, vade autem ad fratres meos, dic eis. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Nunc videamus, quomodo hæc Prophetarum de Messia in cœlos ascendente, & ipsius Jesu Christi hæc prædicentis, oracula fuerint adimpleta.

III. Et Dominus quidem Jesus, narrat nobis S. Evangelista Marcus, *(h) postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.* Idem & nobis enarrat S. Lucas: *(i) Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis, & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum; Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* Clarioribus adhuc verbis hunc triumphalem Jesu Christi ascensum describit in Actibus Apostolorum hæc verbis:

M 2

bis:

(a) Psalm. CIX. 1. sequ. (b) Joan. III. 13. (c) Act. I. 2. sequ.

(a) Joann. VII. 33. (b) Idem XIV. 2. (c) Ibid. 12. (d) Idem XVI. 7. (e) Ibid. 10. (f) Ibid. 28. (g) Joann. XX. 17. sequ. (h) Marci XIX. 16. (i) Luca XXIV. 52.

bis: (a) *Videntibus illis (Discipulis) elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum; cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis; qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Verissima hæc Apostolorum & Evangelistarum esse testimonia, infra monstrabimus; veritate igitur hac præsupposita, non video, cur in ejus demonstrationem ultra excurram, eo minus, cum in Libertinorum & Incrédulorum Scriptis & Satyris contra hunc Messiam & Jesu Christi in cælis ascensum pauca, eaque minutissima reperiam. Neque fidelem Lectorem mirari oportet; hæc enim sapiens turba nil magis optaret, & suspiraret, quam Regni cœlestis æterni, ejusque aditum & conscensum verissimum esse: Optarent, cum ipso Messia, quem Jesum Christum esse hucusque monstrare admisi sumus, ex hac Miseriarum valle, quam miserio-rem, ac fideles omnes, experiuntur, in Regnum cœlorum æternum duraturum ascendere, & æternum regnare; Sed ut in crucis via & per imitationem Jesu Christi patientis & morientis ascendant, hoc est, quod eorum molles & incredulos terret & absterret animos, ita ut suis seducti depravatis passionibus & appetitibus veritatem illam magnam audire & cordi habere detrectent: *Qui vult venire post me, puta in Regnum cœlorum, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

§. III.

(a) Act. I. 9. sequ. (b) Matth. XVI. 24.

§. III.

*Adimpleta sunt per Jesum Christum Prophe-
tarum de Missione Spiritus S. Oracula.*

I. **M**ittendum esse de cælo Spiritum sanctum super fideles, variis in locis prædictum fuit. *Effundam Spiritum meum, ait Dominus per Isaiam, (a) super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Et rursus: (b) *Et venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate. . . Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus, qui est in te, & verba, quæ posui in ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in æternum.* Clarioribus verbis de hac missione loquitur Deus per Joëlem Prophetam: (c) *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filia vestra, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt; sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum; Et dabo prodigia in cæ'o et in terra cet.* Regius Psaltes de Spiritus sancti missione & effusione sæpius vaticinatur, inter alia ait: (d) *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.*

II. Quæ Propheta prædixerant, Jesus Christus se cum Patre completurum multoties adpromisit: Hæc sunt verba ipsius, dum valediceret Discipulis suis in

M 3

cœlos

(a) Isai. XLIV. 3, (b) Isai. LIX. 20. 21. (c) Joel. II. 28. sequ. (d) Psalm. CIII. 30.

cœlos ascensurus: (a) Præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum; dum diceret: (b) Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, & rursus: (c) Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis cet. . . (d) Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. . . (e) Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et alibi: (f) Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem cet. Hunc Spiritum sanctum esse in igne super Apostolos descensurum jam prædixerat Præcursor Domini, inquiens: (g) Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Denique, antequam eos duceret in Bethaniam in Monte Oliveti cœlos conscensurus, dicebat ad illos: (h) Ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

III. Nunc videamus, hæc quomodo Prophetarum & Jesu Christi de Missione Spiritus sancti Oracula fuerint adimpleta, & quando & quomodo descenderit Paraclitus super eos. (a) Post Christi in cœlos ascen-

(a) Act. I. 4. (b) Joann. VII. 38. 39. (c) Joann. XIV. 16. (d) Ibid. 26. (e) Idem XV. 26. (f) Idem XVI. 13. (g) Matth. III. 11. (h) Luca XXIV. 49.

suum reversi sunt Discipuli Ierosolymam. . . . (b) Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum; Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierosolyma habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est; facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes . . . stupebant autem omnes, & mirabantur adinvicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alii autem iridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Judæi. . . Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: Ecce: quomodo verbis & facto monstraverit, Petrus antea pavidus & tremens, nunc fortis & audax, & Spiritu sancto plenus, Prophetarum & Jesu Christi Oracula de delapsu Spiritus sancti esse adimpleta. Videbimus magis, magisque adimpleta, cum mundum universum virtute Spiritus sancti per Apostolos, & in Apostolis operante, & prodigia stupenda tum in eorum prædicatione, tum in eorum passione & morte patrans videmus esse conversum. Neque contra hunc Spiritus sancti de cœlo descensum video Libertinos & Incredulos multum re-

iuctari; fors quia persuasi, si Resurrectionis tollant & infirmant Mysterium, facile Ascensionis in cœlum, & Missionis de cœlo fidei Christianæ dogmata esse evertenda. Velut igitur in prius evertendum omnem intendunt nervum, ita & eidem infirmando omnem impendimus conatum.

SECTIO SECUNDA.

LIBERTINORUM ET INCREDULORUM CONTRA RESURRECTIONEM JESU CHRISTI A MORTUIS CONGLOBATA ARGUMENTA DISJICIUNTUR.

Paulus Apostolus, ut ex Actis Apostolorum percipimus, (a) cum Epicuræis & Stoicis Philosophis discurrebat Athenis; discurrebat autem de Jesu, ejusque a mortuis Resurrectione. *Quid vult Semini-verbis hic dicere*, dicebant aliqui. (b) *Novorum Dæmoniorum videtur annuntiator esse*, dicebant alii. *Apprehensum autem Paulum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quæ est hæc nova, quæ a te dicitur doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris, volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse.* Subdit Hagiographus, *Athenienses autem omnes & advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Stans igitur Paulus in medio Areopagi, ait: *Viri Athenienses,*

(a) Act. XVII. 18. (b) Ibid. & sequ. (c) Ibid. 21.

*nienses, per omnia quasi superstitiones vos video. . . . Quod ignorantes colitis: invenerat enim aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt. . . . judicaturus est orbem in æquitate in Viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. Cum audissent (Viri Areopagitæ) resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Ecce vivam Christiani cum Libertinis de Resurrectione Jesu Christi differentis imaginem! Epicuræi sunt, Philosophi sunt, & Stoici quidem, ut credunt, acutiores Libertini. Loquitur Christianus de Jesu & Resurrectione ejusdem. Quid vult, inquit aliqui, Semini-verbis hic. Novorum Dæmoniorum videtur Annuntiator esse, regerunt alii. Nova enim quædam infers auribus nostris. Ipsos vero Libertinos omnes, sive in Athenæo incredulorum advenæ, sive hospites, ad nihil aliud vacare, nisi aut dicere aut aut audire aliquid novi, neque ullus ipsorum erit, qui contradicat. Sed aut sibi non confisi, aut suæ diffidentes causæ Christianum deducunt ad Areopagum, ad magnum illud Patriarcharum suarum, qui sunt Voltaire, qui sunt Rousseau, qui sunt Argens, qui sunt Woolston, alique celebrioris famæ viri, conciliabulum. Stans igitur Christianus Philosophus in medio hujus Areopagi, ait: *Viri Athenæi per omnia quasi superstitiones vos video, quod ignorantes vos colitis, hoc ego annuntio vobis. Deum qui fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt; hic judicaturus est orbem in**

æquitate in Viro . . . quem suscitavit a mortuis. Hic quidam irrident, quidam satyricè reponunt; Audiemus de te hoc iterum. Audiant igitur nos, cum prius audiverimus istos. Vere superstitioniosiores sunt omnibus per omnia. Colunt Ens supremum (saltem plurimi) sed hoc esse Deum mundi Factorem & Rectorem confiteri detrectant. Ecce Aram *ignoto Deo*. Vocant hoc Ens perfectissimum & optimum. Sed judicaturum esse orbem in æquitate, credere aut nolunt, aut formidant; sed quare? quia Resurrectionem admittere deberent. Quibus autem rationibus Resurrectionis dogmati obstrepunt? Hoc est, quod audiemus.

Tria autem sunt argumentorum genera, quæ Resurrectionis veritatem evertere moliuntur. Miracula negant, esset autem Resurrectio Summum Omnipotentia miraculum. Historiam rident, est autem Resurrectio Historica factis comprobata veritas. Sequelam ejusdem abhorrent; est autem Resurrectio Religionis Christiana Summa, Authoritas & Demonstratio. Videamus.

§. I.

Finis Judaica Fabula ejusque explosis.

I. „ *J*espere sapientes, ne legem transgredentur, fecere corpus defuncti Jeschu in loco sepeliri, ubi lapidatus fuerat. Media nocte venerunt Discipuli & sepulchrum lacrymis innudarunt.

„ runt. Judas, cum resciret, in secreto veniebat, corpus levabat, & in horto suo sepeliebat. Discipuli cum mane ad sepulchrum Magistri reverterentur, & lachrymari continuarent, venit Judas, & dixit; Quid fletis? Aperite sepulchrum, & videte, ubi positus fuerat. Discipulis aperto sepulchro, & corpore Magistri non reperto, conclamarunt: Non est hic. Ascendit ad cœlos, sicut dixerat, cum adhuc viveret. Duodecim viri, qui se a crucifixo missos dicebant, percurrerunt regna, ut sequaces acquirerent; & Magnum Judæorum numerum conquiverunt cet.

II. Quis crederet inspidam hanc fabulam creditorem invenisse? Et ecce in illuminato & Philosophico hoc sæculo nostro non solum Admiratores sed & Defensores invenit. „ Parvulus iste liber: *Sepher Toldas Jeschu*, quamquam paradoxus sit, ait incredulus quidam, (a) certe res adeo verisimiles continet, quales nec nostra Evangelia habent. Et paulo post ait: „ Substantia Narrationis hujus credibilior, naturalior, iisque, quæ in mundo accidere solent, conforrior est, ac non quinquaginta a Christianis composita Evangelia sunt. Verisimilius est Josephum Pandere puellam Mariam imprægnasse, quam quod Angelus per aera delapsus sit, qui Uxori cujusdam fabri lignarii ex parte Dei curialem salutem depõneret. „ Alter incredulior Libertinus, (b) hanc Fabu-

(a) Bolingbrock Examen important C.VIII. (b) Christiani sine Devoilé p. 24.

Fabulam tam serio & confidente calamo refert, quasi de ejus facto nequidem dubium superesset. Tertius (a) æquivoco equidem, sed tam simulato & insultanti stylo eam recenset in uno, quam neglecto & incurio ejusdem meminit in altero loco. Suo scilicet pro modulo Religiosum se fingens, sed corde & ore venenum Irreligionis dispergens Hypocrita. Sane nisi similes libri tot hominum manibus tererentur, & incautam Juventutem facile decipere possent, potius ad similes perfidias & blasphemias gemendum quam respondendum foret. Verum ne censoriam virgam effugientes triumphos canant, paululum eorum miseram Philosophiam, sive cogitandi & scribendi rationem dispecamus, non Judæis, qui pridem ob hanc fabulam vapularunt, sed istis incredulis responsuri. Jam ab initio advertimus, fabulam multa de Christo miracula narrare. Quis autem credat, Judæos hæc Christo, quem tam impie blasphemant, tribuisse? Hanc incohærentiam Bolingbrouckius sentiens ait: „ Libellus Evangelio verisimilior „ defiguratus est fabulis, & impertinentibus Prodigiiis, „ quæ meritum libri imminuunt, plenus est. „ Quid judicat æquissimus Lector? quale judicium? dicit Evangelio verisimiliorem, hinc præ quinquaginta Evangeliiis fidem mereri, sed quia prodigia narrat, fabulosus est; si ergo fabulosus, quare commendat? quare fidem petit? sic se se jugulat mendacium. Sed dicat nobis, si fabulosus est, quis scripsit? an Hebræus? An Christianus? Hebræus? Et hic de Christo miracula dicat?

Christia-

(a) Diction. Philos. Art. Christianisme & Art. Messie.

Christianus? & hic de Christo tales calumnias & blasphemias insperferit? Ecce quomodo iniquitas mentiatur sibi. Hebræus hanc fabulam pro Historia scripserit? Quis credat? Tubis trecentis promulgarit Synedrion, Jeschu ex adulterio conceptum, non posse membrum sanctæ nationis tollerari, sed ut infame debere exciadi? Hoc Judæus scripserit, qui novit, Salomonem ex muliere adultera, Viricidio sponsata, gentis Hebræicæ non modo gloriosissimum fuisse Regem, sed & illum, cui ipsi Hebræi Prophetias legis adplicantes expectatum dixere Messiam? Qualis hic nexus inter fabulam & Historiam?

III. Iphis his Libertinis testibus infamis & blasphemus hic libellus modo ducentis, post Christum natum, annis lucem adspexit. Et nemo Patrum & Christianorum contradixerit? Sic ergo. Nunquid ab ipsa Jesu Christi prædicatione Evangelistarum scripta fuere Evangelia, & ubique Judæis & Gentibus prædicata? Nemo contradixit, quia, quod responderent & objicerent; non habebant, & nunc fabula post ducentos a Christo annos exclusa majorem, ac Evangelia, mereatur fidem? Legant paulisper increduli Genealogiam Jesu Christi ab Evangelistis descriptam, & videbunt in tota Genealogia nec ullius sanctæ mulieris, bene tamen Thamar, Ruth & Bethsabee mentionem fieri, ad denotandum, ut S. Hieronymus observat, (a) ipsum venisse ad redimendum peccatorem, qui ex peccatoribus sanguinem trahere voluit; Quodsi igitur Evangelistis

(a) Comment. in Matth. L. I.

listis in hac Genealogia texenda nemo contradixit, quare contradicunt Increduli & Impostores (Quis enim alius ac malefantis Hebræus aut Gentilis Tertii sæculi Fabulæ est Auctor?) cum Evangelistæ ipsius Virgineum referunt partum? Si defectus eorum Crisin non lædit, quare lædat Præcellentiæ Divinitas? Sed ut paucis his Philosophis ora ocludamus, Libelli infamiam juridico processu proscribamus. Sic Divina voluit providentia, ut ante Christi Nativitatem universus sub Augusto describeretur orbis, in qua conscriptione & nomina, & stirpes, & locus, & officia ac opificia cunctorum Romanorum subditorum adnotabantur, & in publicis conservabantur Archiviis. Poterant igitur, si unquam de Christi Nativitate aut dubium aut quæstio fuisset, Genealogia Tribuum, quæ Tertulliano teste (a) adhuc tertio Eclesiæ sæculo a Natione Hebræa & ab ipsis Romanis custodiebantur, examinari & confrontari; & quæ inventa fuissent? Filium hominis Jesum Christum, quoad humanitatem, e stirpe Regia descendisse, natum fuisse ex Beatissima Matre Maria, cujus Sponsus Joseph sub Cyrino Bethlehemii non adulter, ut impietas blasphemat, sed Maritus & putatitius Pater inscriptus fuerit. Vellent, si possent, ipsam conscriptionem invertere, sed eam in Judæa contigisse Josephus testatur, (b) in-
quiens: Augustus constituit Cyrinum Syriæ Præsidem, ut conscriberet Judæos; executus est munus, licet Judæi se opponerent, complevit autem trigesimo septimo anno post pugnam

(a) Appologet. C. XXI. (b) Antiquit. Judaic. L. XVII. & XVIII.

pugnam Actiacam. Cetera, quæ infamis Impostoris libellus calumnias & blasphemias miscet, se se refutant, & ipso Libertino ac incredulo teste (a) adeo putida & putrida sunt, ut vel ea legere, non dicam credere, pudeat. Hoc denique sibi a suis responsum habeant increduli.

§. II.

Resurrectionis Miraculi impossibilitatem præ-tendentium refellitur opinio.

I. **R**esurrectio Jesu Christi, inquit, aliter probari non potest, nec a Christianis aliter probari solet, nisi testimonio hominum. Valet equidem testimonium hominum, si de rebus & factis naturalibus sermo est, sed nullius est roboris, si sermo occurrat de rebus & factis naturæ adversis, eamque evertentibus; tale autem, absque dubio est Resurrectionis factum, quod naturæ legibus prorsus repugnat; & tale præsupponit miraculum, quod ipsam evertit naturam, & hinc apertam impossibilitatem importat: Quidquid igitur de Resurrectione aut dicitur aut scribitur, fingentis Chymæra est.

II. Recte dicunt increduli, Resurrectionis factum esse miraculum, quod totam evertit naturam, & omnes naturæ transcendit & superat leges; Et hoc est, quod ad verum requisivimus Miraculum. Miraculum autem Deum patrare non posse, hoc est, quod ipsorum est,

mon-

(a) Bull. Hist. de l'Etablis. du Christianisme.

monstrare; monstrare autem non poterunt, nisi Divinam destruant potentiam, & ipsum destruant Deum. Hanc Omnipotentiam, eo ipso quia Deum existere in primo libro invicte monstravimus, negare non possunt. Dicant nunc igitur increduli, an homines de facto possibili & sensibili valide testari non possint? vix credo, esse ullum, qui positionem hanc controversere aut possit aut velit.

Deum v. g. hominem mortuum per omnipotentiam suam ad vitam suscitare posse, est invincibilis ex eius Existentia & Perfectionibus deducta veritas.

Ponamus igitur, ut in facto est, homines, h. e. Discipulos Jesum Christum ante tres dies vidisse in cruce mortuum, sepulchro intumulatum, & postea vivum inter ipsos stantem, carnem & ossa exhibentem, plagas monstrantem, cum ipsis manducantem, nunquid hoc factum est prorsus Divinæ potentiae possibile, est ipsorum sensibus manifestum, sensibile & palpabile? Dicant igitur Libertini, si Philosophi sunt, dicant, inquam, an de hoc facto valide testari queant? Quare non? Dicant, & cum ratione dicant, si possint aut velint. Inquient, factum naturale non est, sed aperte naturæ adversum est. — Ergo sensibus naturale non est, ante tres dies videre hominem mortuum & sepultum? Ergo naturale non est, hominem ante tres dies mortuum & sepultum hodie videre vivum, stantem inter se ipsos; videre manducantem, audire conversantem, & palpare carnem & ossa habentem? — Sed hoc est

est contra naturam, clamant increduli. — Sic est, est contra Naturæ ordinem & vires, & ideo Miraculum, & quidem summum est; sed Deum hoc posse, inficiari non possunt, ergo si homines factum vident, & quidem sensibus sive oculis factum vident, & manibus palpant, legitimum & validum testimonium dare queunt.

III. Hæc est omni jure, omnique prudentum opinione & arbitrio sacrata opinio, veritatem, quæ hominum firmatur testimonio, firmam non stare, nisi saltem duorum aut trium testium sit firmata Assertio; Reponunt. Sed quodnam est Resurrectionis testimonium, nisi unius & solius testis assertio? Divisi sunt, ut Christianorum fert Historia, Apostoli, ut prædicarent nationibus Evangelium, h. e. Resurrectionem Jesu Christi. Sicut igitur fuit unius & solius prædicantis Apostoli apud hanc illamve gentem assertio, ita & unius atque solius de Resurrectione testimonium. Rem igitur si in Banco juris, ut inquiunt, discutere velimus, integra Resurrectionis Historia & Narratio uno solo utitur testimonio; sed quamne meretur fidem? juxta omnes prorsus nullam. Miror sane, Libertinos tam egregios esse Legisperitos, Politicos atque Philosophos. Ponamus Regem aut Monarcham singulam singulis de facto Historico aut nuntiando aut firmando destinasse Legatum; Dicant Politici & Philosophi isti, ergone eum juris & rationis merito obstrepent nationes, factum nonnisi uno & solo nuntiari & roborari teste?

N

Quodsi

Quodsi Legatus authenticas suas offerret Nationi Credentiales, Ergone periclitabitur natio? Si igitur gentes & rationes quoque unius Apostoli vident Missivam, Miracula scilicet & sanguinem ac vitam pro nuntio fufum? Dubitabuntne ultra? Dubitent, sed dubii tollendi causa, consulant nationes ceteras, & cum audierint, nuntium ad ipsos portatum esse eundem, ane dubitabunt merito? Ane dubitabunt, aut veritatem eandem non solum tribus, sed tot, quot prædicatum & nuntiatum iyerunt, testibus firmatum esse convincentur? Sed, inquit, dubia est illa Nuntiorum fides, etiam morte firmata, si quoque rem falsam, v. g. errorem huic dogmati aut alteri contrarium, morte & sanguine ab hominibus fanatico comperimus esse sigillatam. Ut huic argumento, licet merito causæ de Resurrectionis possibilitati prorsus adverso, a Libertinis tamen sæpe recocto solide respondeamus, quærere mihi liceat, an viderint quempiam sanæ rationis, qui pro facto quodam, quod potuit nosse, aut vere novit esse falsum, vitam & sanguinem fuderit? Pro quadam doctrina, quam intellectus seductus pertinaciter tenet veram, Enthusiasmo deceptum ad sanguinem & vitam usque decertare, persuademur a facto & experientia; verum pro facto historico, quod novi falsum, ut supponunt increduli, vitam offerre & sanguinem, h. e. pro impostura velle mori, cum negando factum liceret effugere supplicia; si factum tale in rationis compote adferre possint, cedemus. Bene, inquit, vidimus & novimus, homines, factum negantes, quod noverant

verum,

verum, subiisse mortem, nulla igitur inter dogma & factum statui differentia potest Dicant autem hi Jurisperiti, quare negabant factum, quod noverant verum, atque probatum tale fuit? Quare? quia credebant, supplicia & mortem effugere non posse; Si autem scivissent, confitendo liberari; hercle confessi fuissent. Et quæso, ane liberi aut inviti hi mortem subibant? Sed quid Apostoli Resurrectionem testantes? Sponte voluntarie subeunt mortem; & quare, quia factum testantur; Si autem nossent esse falsum, ergone mortem subiissent, aut non potius a facto contestando desisissent? hoc voluere Judæi atque Tyranni, sed vitam fuderunt & sanguinem, igitur factum, quod sanguine firmarunt, vidisse, & palpasse, certum est, nisi eos velimus ratione & sensu destitutos, quod Philosophum in homine simplici & idiota, quales arguunt Apostolos, suspicari non decet. Sed fuere decepti, & impostura insigni persuasi. Audiamus.

IV. Simples rudesque discipuli tanto Magistri capti amore, ut vel & ad absurdiora persuaderi, & pro his sanguine & vita firmandis induci & seduci potuissent. Examinemus rem paulo intimius, ajunt profundi hi Philosophi. Judæi expectabant, nescio quo oraculo ducti, Messiam; hunc credebant, magnum & potentem Regem esse futurum; hoc & credebant Apostoli; hinc, quisnam eorum sit Major in Regno futuro, disputabant. Jesus Vir sagax & astutus hisce utebatur circumstantiis, & puerili Discipulorum credulitate.

Videns autem, nec posse vincere Cæsarem, nec lucrari populos; Scenam invertit, inquires: Se quidem esse promissum Regem & Messiam, sed regnum suum non esse de hoc mundo; Messiam juxta Prophetas, in paupertate & humilitate vivere, contemni, contradici, & tandem in cruce mori debere; sed post tres dies esse resurrecturum, & Discipulos suos, post parem contemptum, supplicia & mortem, esse in Regno Cælorum ad æterna præmia & Regni fastigia elevaturum. Crediderunt Discipuli; viderunt in cruce mori & sepeliri, igitur & ipsi præmiorum magnitudine adlecti sparserunt & prædicarunt, Jesum a mortuis surrexisse & cælos ascendisse. Ecce factum, non miraculum sed rerum naturæ & hominis fanatici astutiarum simillimum.

V. Verum quisnam prudentum talia de Jesu Christo somniare audet? Non dicam integram ipsius vitam nil nisi sanctitatem & purissimas spirare virtutes; sed quæro ex homine rerum experto, an similem Jesu Christo possit ad fingere imposturam & fraudem. Sit igitur, hanc, quam credulus fingit, Jesus invenerit machinam & projectum, qui autem possibile fuisset, illum ad eum, quem vidimus, deducere suem? Certum est, Impostorem talia meditantem tales sibi seligere Discipulos, qui fraudi patrocinari, eamque peritia & dexteritate sua fulcire queant. Verum Jesus eligit rudes, simplices & inexpertos, qui potius machinam destruere, quam perficere nati fuerant. Impostor omnem

omnem locat operam, ut adhaerentium suorum lucratur animos, eorum studet commodis & passionibus, cupiditatibusque satiandis, & mercedem promittit amplissimam, sed Jesus inveteratas eorum increpat, sicut ceterorum Judæorum, opiniones, eorum exprobrat defectus, damnat & condemnat errores & passiones. Nil nisi opprobria, persecutiones supplicia & mortes prædicit; promittit equidem bona futura & spiritualia, cœlestia & æterna, quorum ipsi nec ullam habent ideam, minus certam & allicientem spem & fiduciam; ipsius etenim de Regno cœlesti sermones sunt ipsis imperceptibile & inextricabile ænygma, usque dum Spiritus sanctus de cœlo delapsus illuminarit intellectus & accenderit corda. Et isti, cum vidissent Magistrum in cruce mortuum atque sepultum, mentiti sint ipsum surrexisse? In quem finem? Cum se viderint deceptos, & fraudem suam per corpus defuncti in publicum pertrahendum credidissent confundi. Sane impossibilis est, talia cum verisimilitudine fingere & persuaderi, quam Resurrectionis facto, ejusque miraculo prætere adferentem. Sed, quinam sunt, multo increduli instant clamore, qui hoc Resurrectionis testantur factum? Mulieres sunt visionariæ & somniatrices, & pauci quidam miseri piscatores; suntne examinata, & confrontata eorum testimonia? Minime. Fraus prodit se ipsam. Abstulerunt Discipuli corpus, & hoc est, quod testantur custodes milites. Hei! jam versam video clepsydram, non de facti possibilitate, sed histo-

rica ejusdem veritate procedit argumentum. Igitur, evertant, si possunt, historiam.

§. III.

Woolstonii contra historicam Resurrectionis veritatem intentata reprimitur audacia.

Thomas Woolston Protestanticus in Anglia Minister, Spinozæ Magistri vestigia premens, contra miracula Jesu Christi insurgens, quosdam edidit sermones, quibus ea suo destituere vigore conabatur. Primus comparuit, ut notat Fabricius, (a) sub hoc titulo: *Discursus super miracula Salvatoris nostri relativus ad Disputationem, quæ modo incredulos inter & Apostatas agitatur.* Gubernium Anglicum processit contra Authorem, & Curia Regia, Banco dicta, declaravit ipsum anno 1729. impietatis & blasphemiz reum, & condemnavit ad *Libras sterlingas 125.* pro quolibet sermone, & ad unius anni pœnam Carceris, & jussit in cautionem emendationis solvere alia duo millia *Librarum sterlingarum.* Verum cum his summis solvendis, & cautioni præstandæ impar esset, usque ad mortem, quæ contigit anno 1733. in carcere hæsit. (b) Hic igitur Woolstonius in *Sermone sexto* gloriosæ Resurrectionis miracula sequentibus insultat armis: „ Testimonium, inquit, Apostolorum nullius est roboris; sunt etenim plebs incauta, simplex & credula; & testimonium ipsorum

(a) Fabricius *salut. Lux Evangel. C. IX.* (b) v. P. Nicéron *Mémoir. der Hom. Illustr. Tom. 40.*

ipsorum nil est nisi machina fraudis & imposturæ; ipsi Discipuli ruperunt sepulchri sigillum, abstulerunt Cadaver, & sparserunt in populum, a morte resuscitatum esse. Etenim si factum non contigit hoc modo, sed Christus resurrexit vere, quare non apparuit Sacerdotibus & Principibus populi? Si Resurrectio principalis est Missionis J. C. probatio, exigit sana ratio, ut summe sit evidens, & extra omnem dubietatis aleam posita, quare igitur solis amicis, quos *testes a Deo præordinatos* vocat, confiditur secretum? Et quis scit, an non prætensi Resurrectionis testes etiam ipsi per Spiritum Fanaticum fuerint decepti, aut an non deceperint alios proprio Interesse seducti. Id, quod securius concludere licet, est, unum ex duobus fecisse. „ Tria sunt, quæ hic implius & blasphemus cumulat argumenta. Primum, ipsos discipulos abstulisse corpus. Secundum Jesum Christum non apparuisse Sacerdotibus & Principibus populi. Tertium aut ipsos fuisse deceptos, aut ex spe lucri deceptores. Singula, claritas & ordinis causa discutiamus.

ARGUMENTUM PRIMUM DISCUTITUR.

Apostolos Corpus e sepulchro abstulisse.

Sane Spiritum fortem esse decet, qui concipere & adferre velit, pauperes & pavidos Piscatores, qui, cum caperetur Magister; dederunt fugam, postquam

quam viderint, & audiverint, ipsum velut Impostorem fuisse crucifixum, mortuum & sepulchro illatum, ausi fuerint, custodiæ militum Romanorum irrepere, sigillum Præfidis infringere, lapidem grandem levare, cadaver involutum involare, humeris succollare, & absque timore, quin custodes advertant, & ipsi deprehensi pœnis subijciantur, asportare. Crederem, facilius esse, prudentem persuaderi, discipulos custodes milites auro corripisse, quam pavidos Judæos inter custodes Romanos, qui eo fine ad sepulchrum Vigiliis ducebant, ne Discipuli, ut Scribæ & Principes populi Pilatum præcibus præveniebant, nocte Cadaver auferrent, & error posterior fieret pejor priore, adeo periculis plenum furtum commississe. Sed talia in populum spargere, nullus Christianæ Religionis hostis est ausus, quia mundus universus novit, pauperes piscatores, quo militem corrumpent, aurum non possedisse. Verum estne orbis minus persuasus, hos timidos & trepidantes Discipulos latebras & tenebras quæsisse, ne in manus Judæorum & Militum, qui Magistrum occiderunt, inciderent, & tamen mundum hujus timoris conscium persuadere velle, eos sponte & libere hoc evidens discrimen subiisse? - Sed, hoc est, quod milites testes deponunt, Discipulos nocte venisse, & ipsos dormientibus corpus furatos esse. Egregios custodes! Præclaros testes! in qua curia, in quo tribunali dormientes testes admittuntur, ut facti quod dormientibus contigit, legale testimonium ferrent?

II.

II. Sed ponamus, discipulos huic dolo & discrimini se subjecisse, nunquid eos in totos alios transformare homines decet? Antea erant simplices, idiotæ, viles & abjecti, nunc audaces, astuti, sagaces & fortes; hæc undenam Characteris naturalis inversio? -- Lucri & famæ cupiditas astutos fecit & audaces -- Dicant igitur, si velint, quodnam in Discipulis hujus periculosi facinoris potuit esse incitamentum? Anne sperabant, Magistrum a mortuis surrecturum esse, an non? Medium non datur. Si sperarunt, furari corpus, superfluum fuerat; si non, inutile erat. Superfluum erat; etenim si surrecturum sperabant, ad quid ejus Cadaver e tumulto furari? Ille, qui mortuum resuscitare potuerit, certe & ex tumulto, utut clauso, eum liberare potuisset; Superfluum, igitur frustraneum & suspectum sane hoc furtum fuisset. Si autem resurrecturum non sperabant, stolidum certe & inutile periculum fuisset. Quid enim cadaver in manibus eorum, si resurgere non potuisset; Ergone in Regem Israel extollere, ejusque Proceres fieri sperabant? Et ob facinus five superfluum five inutile periculo tanto, quod furibus instabat, se committere, sagaciæ & astutiæ indicium sit? crederem sagacius esse (si tamen Idiotas in sagaces transformare præsumunt) eventum expectare; si enim resurgeret, spem suam sine periculo completam vidissent; si non, spes eorum saltem absque pœnæ & fraudis detegendæ periculo delusa fuisset. Estne igitur sagaciæ & astutiæ, absque omni spe lucri, aut cuiusque demum boni, se certo periculo exponere? stultitia

N §

titia

titia esset, si unus, Phrenesis autem, si undecim simile quid attentarent; & tamen hoc ipsis affingere oporteret.

III. Sed, inquiunt, hic Discipulorum erat finis, ut, si non lucrum, saltem famam & æstimationem publicam a mundo, quem de Resurrectione Magistri convincere volebant, sibi concilient, & novæ Religionis Authores habeantur. Quæso, quid lucri, quid commodi sperare poterant, si Magister, ut increduli supponunt, Impostor fuisset? Quæ fama & æstumatio pro ipsis, si & ipsi impostores inventi, nonnisi Carceres, supplicia & mortem certo certius timere poterant? Sed hoc est, reponunt Libertini, quod experti fuere. Bene, sed hæc est quæstio, quidnam potuerit Apostolos movere, ut si Jesus Christus Impostor, ejusque Resurrectio fraus & dolus ipsorum fuit, ut se suppliciis, cruci & morti, ad hunc dolum tuendum, licet & nunquam discoopertus fuerit, subjiciant? Estne supplicium, estne mors illud movens & alliciens argumentum, ut similem morte & suppliciis finiendum dolum ludere voluerint? Si Regulas humanitatis & moralitatis, sive sanæ Philosophiæ & rationis pensitamus, homo rationis compos nunquam operabitur & aget, nisi ex fine boni; suntne supplicia & crudelissima mors, quæ boni naturalis aut moralis rationem habent? Aut igitur Apostoli fuere homines rationis compotes? aut non? tales ipsos non fuisse, etiam increduli adferere erubescunt; si autem fuerunt, igitur & ex suppliciis
certo

certo certius prævisis quid boni sperasse oportet. Bonum illud temporale esse non potuit; quodnam enim tale post mortem sperandum? Igitur æternum? Si autem Jesus fuit Impostor, si ipse non resurrexit, si & ipsi Impostores, quodnam bonum æternum sperare poterant? - Dicet nonnemo, gloria & fama post mortem fuisse novæ Religionis Authores, potuit quoque Impostores ad supplicia & mortem rapere. Quæso! quis prudentum hoc credet, hominem, ut post mortem sibi famam & gloriam conciliet, crimen tale committere velle, ut suppliciis & morte e mundo tollatur? Quæ fama, quæ gloria, si mundus resciverit, ipsum impostorem & facinorosum fuisse? Quis fructus hujus famæ & gloriæ, si novit, ob dolum suum se æternis suppliciis æternæque Morti esse adjudicandum? Ostendant Libertini, si velint, quænam in tali casu Boni realis aut moralis species, quæ hominem ad tantam stultitiam adigere possit? Respondeant igitur Increduli similem casum sustinentes, scil. Apostolos ex impostura & dolo cadaver furatos esse, ut spargerent in mundum, Magistrum vere surrexisse, & post hanc prædicationem supplicia & mortem subeant, respondeant, inquam, quales eos sibi fingunt? An rationales, an phreneticos? an summe malitiosos, an non? Primum sane non dicent, scil. non homines, non rationales, sed phreneticos fuisse; nam tales se eos non fuisse, eorum acta & facta, prædicationes & Scripturæ declarant. Quid ergo fuere? Summe malitiosi & impii, aut non? Si summe impii & malitiosi, quare Jesum
Christum

Christum unigenitum Dei Filium prædicant? Quare Religionem tam sanctam, tam innocentem, virtutes tam heroicæ, perfectionem omni impietati & vitio adversam, tanto pietatis & sanctitatis studio docent?

Nonne hæc summa contradictio est, esse impien-
tissimum, & nil nisi pietatem docere? Si autem non
impien-
tissimos fingere volunt, dicant quæso, qui pote-
rant talem infamem imposturam committere? Qui
eam solenni prædicatione testari, & divulgare? qui
eam supplicii & morte munire, eum certo certius sci-
rent, se per simile factum non solum in cruce agen-
dos, sed & ex cruce ob hoc impium facinus in manus
tremendas æterni Judicis lapsuros, & sine omni spe
lucris, famæ & gloriæ, sive æternæ, sive temporalis,
æternis pœnis adjudicandos esse? Sed, inquit, In-
creduli, hæc Fanaticorum & Enthusiastarum fors &
opinio est, ut propter mentis suæ delirantis Idolum se
suum, quiscunque demum fuerit, finem consecuturos
sperarent, & ut consequantur, quæque & supplicii &
necis pericula non timeant. Igitur refutemus &

ARGUMENTUM ALTERUM.

Apostolos fuisse per Fanatismum deceptos.

I. *Non* est novum hoc alterum Woolstonii ar-
gumentum, scil. si Resurrectionis testes
non alios spe lucris deceperint, per Fanatismum se ipsos
de-

decepisse, consequi posse. Certe, inquit unum ex
duobus contigisse, necesse est: Non, inquam novum
est, hoc impietatis argumentum; hoc etenim jam Spi-
noza arguebat: (a) *Ceterum Christi passionem, mortem
& sepulturam tecum literaliter, accipio, ejus autem Re-
surrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab
Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possi-
mus, ipsos Evangelistas credidisse, corpus resurrexisse, &
ad cœlum ascendisse, ut ad Dei Dexteram sederet, & quod
a fidelibus etiam potuisset videri, si in locis adfuissent, in
quibus ipse Christus Discipulis adparuit. In quo tamen,
salva Evangelica Doctrina, potuerant decipi, ut aliis
etiam Prophetis contigit;* Hæc Spinoza; Rejicit igitur
Incredulorum calumniam, Apostolos Impostores fuisse;
prætendit tamen, fanaticos & visionarios extitisse.

II. Fanaticus & Visionarius autem homo, nî
fallor, est homo credulus, qui a sensibus delusus talia
se videre, audire, tangere cet. somniat, & credit,
& cœn visa ac audita, quasi convictus & certus de iis,
prædicat, adserit, & contestatur. Videamus igitur,
an Apostoli in Resurrectionis facto Fanatici dici me-
reantur & queant. Fueruntne homines creduli? sic
est, inquit, quia & nos ipsos simplices, rudes &
idiotas dicimus. An autem in hoc facto se ut credu-
los & idiotas gesserint, hoc est, quod discutere oportet.
Examinemus igitur factum. Timeo, ne ex facto
Apostolos potius incredulos, quam credulos compellere
la-

(a) Epistola XXV, Ad Henricum Oldeburgium.

lare teneamur. Veniunt mulieres, & lætum adferunt nuntium, *Jesum Christum surrexisse a mortuis vere*. Quid respondent ad nova Discipuli creduli? (a) *Visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista*. Venit Jesus & stat in medio eorum, ostendit eis manus & pedes, (b) *Palpate*, inquit, & *videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet*. Quid autem ipsi? (c) *existimabant se Spiritum videre*. Comparuit euntibus in Emaus, confert sermones cum ipsis, aperit ipsis Scripturam, *hæc Christum pati oportuisse, ut intret in gloriam suam*. Quid ipsi? (d) *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel, & nunc dies tertia est hodie, quod hæc facta sunt*. Ecce incredulam impatientiam! Ita ut Jesus diceret: (e) *O stulti & tardi corde ad credendum!* Major tamen omnibus incredulus erat Thomas: Non erat cum Discipulis, cum Jesus venisset, & stetit in medio eorum. Narrabant autem ipsi: *Vidimus Dominum*; Ille autem: (f) *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Etiam hic sit credulus visionarius? Quid autem, si Thomas viderit, tetigerit? *Post dies octo iterum venit Jesus, & dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Suntne igitur illi, qui vident, qui tangunt, qui conversantur, qui assident, qui manducant cum Jesu Christo,

(a) Luca XXIV. 11. (b) Ibid. 39. (c) Ibid. 37.
(d) Luca XXIV. 21. (e) Ibid. 25. (f) Joann. XX. 25.
& sequ.

sto, quem autem mortuum & sepultum viderant & audiverant, & nunc a mortuis resurgentem testantur, increduli? visionarii? somniatores? Fanatici?

III. Sic est, ajunt; eorum enim Testimonium licet sensibus nitatur, est tamen dissentiens, inconstans, labile, dubium, & super ipsum Visionariorum argumentum fundatum. Jesus apparuit Discipulis, ipsi vero *conturbati & exterriti, existimabant se Spiritum videre*. Nequaquam igitur cognoverunt eum. Ivit cum Discipulis in Emaus, sed in via non agnoverunt ipsum, sed solum in fractione panis; vix autem noverant eum, ipse sicut spiritus & umbra *evanuit* ex oculis eorum. Quis autem fuit, qui discipulorum Phantasiam Jesum videre credentium his ideis turbavit? Mulieres fuerunt, credulæ & somniatrices mulieres. Referunt se equidem & Discipuli & mulieres super visum, auditum & tactum; verum quid viderunt; quid tetigerunt? Ergone ipsum corpus resurgentis? Minime, aliud ab ipso, quod crucifixum, mortuum & sepultum fuit, corpus viderunt: Corpus, quod Januas clausas penetravit, quod in memento disparuit & evanuit; igitur non corpus sed umbra fuit. Plagas viderunt in manibus & pedibus, sed non crucis & mortis, quomodo enim cum ipsis vivere potuisset?

IV. Misæræ argutiæ, Testimonium Mulierum & discipulorum est conforme, constans & solidum super omnes eorum sensus fundatum. Narrant, quod omnes

omnes viderint, audiverint, tetigerint cet. Imo ad Jussa Magistri tetigerint, & corpus examinarunt; cum igitur verum corpus invenisse testantur, quomodo eorum testimonium difforme & inconstans divi incretur? Verum est, loquuntur de incognoscibilitate, disparitione, de spiritu & umbra, sed quando & quomodo? Illi, qui iverant in Emaus cum Jesu Christo, testantur cum eo ivisse, sermones contulisse, ad mensam sedisse; igitur testantur ejus verum corpus humanum est reale, sed non cognoverunt. -- Quare autem? quia aliam imaginem induerat, quia eorum oculi tenebantur; cognoverant tamen in fractione panis, igitur sensibus & oculis in actione humana visibili & reali cognoverunt. Sed disparuit? Ergone ex eo, quia cognitus cessavit visibilis ipsis esse, non habebat corpus humanum & reale? Ergo & tunc, cum in Nazareth e Patriotarum suorum, qui ex rupe præcipitem agere volebant, manibus disparuit, & visibilis esse cessavit, ejus corpus humanum & reale esse cessavit? -- Sed evanuit, inquit textus, quod spiritui & umbræ proprium est; -- cum autem ex ceteris circumstantiis novimus, corpus, quod evanuit, humanum & reale esse, sane aliter explicari non potest, nisi quod corpus visibile cessavit visibile esse; hinc textus græcus habet: *invisibilis factus est, sive desit videri*; & Siriacus habet; *sublatu8 est oculis eorum*; & Arabicus: *Abcondit se ab eis*. -- Sed ipsi Apostoli videntes & tangentes existimabant se spiritum videre. -- Quando autem existimabant, cum januis clausis steterit in medio eorum; cum timidi, conturbati & exterriti essent,

essent, erant tunc increduli, timebant decipi, clamabant: Phantasma est; sed cum ipsum audissent loquentem, cum vidissent manducantem, cum tetigissent plagas & cicatrices non corporis patientis sanguinem fundentes, sed plagarum signa gloriosa in corpore agili, subtili & spiritui assimilato (a) tunc credebant, tunc mirabantur præ gaudio, tunc exclamabant, *surrexit Dominus vere*; & tunc iverunt, prout illis mandatum fuerat, & prædicaverunt Resurrectionem Jesu Christi. Ubi igitur difformitas, ubi inconstantia, ubi labilitas testimonii eorum?

V. Blasphemum est igitur, cum Woolstonio dicere, Apostolos in puncto Resurrectionis vel alios spe lucri decepisse, vel per Fanatissimum deceptos fuisse. Si enim eorum testimonium non fidem mereretur, nec ullum factum Historiæ Romanæ aut Græcæ merebitur eam; sed omnis mundi fides in miserum Pyrrhonismum vertetur. Certitudo moralis alicujus facti, ut in Libro priori ostendimus, testimonio sensuum innititur, hoc si uniforme & constans, solidum veritatis Criterium est. Potest equidem fieri, ut factum historicum quædam circumstantiæ & conditiones comitentur, sed hæ ipsæ efficiet, ut vel majorem vel minorem certitudinem de eo habeamus; v. g. si major est numerus testium; si remanere & rigide examinarunt, si sæpius examinarunt, si ipsorum intereat, rigide examinare, & novisse; si non solum uno, sed pluribus sensibus experti sunt, &

demum

demum plures idem invenerunt; tunc sane certitudo summa erit. Numerum testium Resurrectionis oculatorum fuisse summum, jamjam audivimus, cum Quingenti, qui resurgentem viderunt, simul fuerint; ipsos rem mature examinasse, oculis, auribus & manibus scrutatos fuisse; modo audivimus; sæpius autem examinasse pariter constat; cum per quadraginta dies in pluribus locis, in diversis modis & speciebus, modo cum uno, modo cum pluribus, modo cum paucis, modo cum multis, modo cum omnibus conversatus & locutus sit, & ipsi ejus apparitiones narrantes semper constanter adfirmarunt, *Dominus est; Dominus surrexit*; Quod autem ipsorum interfuerit, rem maturius examinare, consideranti patebit: Intererat ipsorum, nosse, an sit Christus & Messias ipsorum Magister, an vera sit ipsius Doctrina & promissio; Res erat summi momenti, ipsorum spes unica; erat eorum expectatio & desiderium; erat res nova & inaudita, omnia igitur ad examen premebant; Sensibus autem omnibus rem examinasse, qui dubitare possumus? Audierunt, palparunt, viderunt ingredientem & egredientem, stantem & sedentem, manducantem & conversantem, increpantem incredulitatem eorum, aperientem Scripturas, & interpretantem testimonia Moyse & Prophetarum, docentem & præcipientem, in omnes terras exire, disponentem & stabilientem Religionem Ecclesie sue. Quid? quod Thomas, & ceteri cum ipsis, viderunt plagarum signa in manibus & pedibus, digitos intulerunt, & manus in latus miserunt. Quid nunc dicit ad

ad hæc omnia Woolstonius? Audetne ultra adferere: Homines istos, omnes, quingentos hos testes, idem testantes, in omnibus conversationibus suis, in omnibus examinibus & experimentis suis, cum omnibus reflexionibus & sensationibus suis, semper visionarios, semper somniatores, semper fanaticos, semper illusos, & deceptos fuisse? Si ita, valete Historiæ, valete testimonia, valete commercia & Societates humanæ? sic enim totum humanum genus in ignorantie & dubietatis tenebras & æternum confusionis Chaos sepelire oportet.

Pyrrhonista erit mundus universus delirii æterni vertigine motus.

ARGUMENTUM TERTIUM REJICITUR.

Jesum Christum a mortuis resurgentem non apparuisse Sacerdotibus & Principibus populi.

I. Scandalisatur Woolstonius, quod Christus a mortis resurgens Sacerdotibus & Principibus populi non comparuerit. Nolo sperare, ne ex eo inferat, ergo Christus a mortuis non surrexit. Quæ enim Philosophia esset ista? Et tamen Libertini Woolstonii armis instructi ita syllogizant: Factum Resurrectionis, a quo Probatio Divinitatis & Missionis Jesu Christi, consequenter totius Christianæ Religionis probatio dependet, debet sufficienter & publice probata

esse; Quomodo autem id, quod universum concernit mundum, sufficienter & publice notificatum dici potest, si non omni populo, ut ipse ait Petrus, (a) sed solum testibus præordinatis a Deo, non in publico, sed solum in locis solitariis, & quasi in tenebris & umbris manifestatum fuit? Saltem Sacerdotibus & Principibus populi comparere debuisset, qui ut Personæ publicæ publicam potuissent dare fidem; quare autem hoc factum non fuit?

II. Secundum omnem legis & tribunalis rigorem factum sufficienter est probatum, si a duobus aut tribus fide dignis testibus comprobatur. Resurrectio Jesu Christi non tribus, sed undecim, imo quingentis testibus, & ultra, viris fide dignis firmata fuerat; aut fide digni non erant, qui sinceri, viridici, iusti & candidi reperti fuere? qui testimonium suum miraculosis strepitis, tormentis, suppliciis, sanguine & morte munerunt?

Quis dicet eorum testimonium non publicum sed solitarium fuisse, cum Jesus Christus erat publice crucifixus, mortuus, & sepulchro munito inclusus, post & omnibus Hebræis ac Gentibus Hierosolymis circa circum morantibus compertum fuit, tertia die sepulchrum fuisse vacuum inventum? Nonne omnes accedere & oculis experiri hoc poterant? Impossibile fuit, ut discipuli pavidi milite sepulchrum custodiente corpus auf-

(a) Actor, X. 41.

aufferrent, ut ostensum est; nec unquam Sacerdotibus & Principibus publicis in mentem venit, ut Discipulos Christi Resurrectionem prædicantibus, licet carcere vinculis & flagellis in eos furerent, hoc factum objicerent. Publice igitur per Prædicationem Apostolorum, qui erant testes omni exceptione majores, Resurrectio Christi manifestata fuit.

Verum est, Resurrectio universum concernebat mundum, quia Religionis Christianæ Summa est, quod bene contestantur & sentiunt increduli; quis autem inde infert, ipsum omnibus mundi incolis apparere debuisse? Si hoc, ergo non solum omnibus tunc existentibus, sed & omnibus generationibus in finem sæculorum futuris comparere deberet. Suntne autem prætensiones tales iustæ & rationabiles? Saltem Hebræis tunc existentibus, omnibusque Sacerdotibus comparere debuisse, quia ad ipsos specialiter missus fuerat. — Quæ nova prætensio? igitur de terra in terram de domo in domum, de camera in cameram ire, se manifestum & ad videndum, ad audiendum & tangendum visibilem reddere, & repetere debuisse. Anne sana & rationalis hæc prætensio? — Saltem Sacerdotibus & Principibus, qui in Historia sua partem ferebant, se manifestare debuisse. — Partem æqualem in Historia tulit Tiberius, Senatus Romanus, Pilatus, imo, omnes tribus terræ (erat enim omnium Servator) partem habebant, ergo & his omnibus & singulis comparere debuisse. Quo igitur jure Hebræi, eorum

Sacerdotes & Principes, specialem prætere potuerant adparitionem? Utiq; præ cunctis populis habuerunt; viderunt crucifixum & sepultum, imo sepulchrum suo & Pilati munierunt custode & sigillo; audiverant, ut ipsi Pilato testantur, post tres dies resurrecturum, poterant igitur a milite electo scire; aut actu & in veritate sciverunt, eum a mortuis resurrexisse; quæ igitur ultra testimonia quærunt? Quoque hæc invenerant; etenim Apostoli hujus rei testes, in publico Senatu hanc veritatem edixerunt, imo sanguine firmarunt, & miraculis roborarunt.

Quid potuit, quærere me licet, quid potuit Deus ultra facere, & non fecit? — comparere in Persona, Sacerdotibus, ut ceu Personæ publicæ publice testari possent. Et ego, non Hebræis, sed incredulis respondeo illud, quod Abraham Epuloni respondit. Mitte Lazarum, aiebat Epulo ardens in inferno, & respondit Abraham: (a) *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Sic est legant Sacerdotes & Scribæ & Principes Moysen & Prophetas, & de Resurrectione abunde convincentur. — Verum reponent cum Epulone: *Non.* Sed si ipse Christus redivivus comparebit ex mortuis, credent & penitentiam agent. Et ego cum Abrahamo respondeo: *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si Christus ex mortuis resurrexerit & comparuerit, credent.* Qui, dum videret, miracula viderunt, eumque audierunt, non credi-

(a) Luca XVI. 29, sequi.

crediderunt, sed ipsum in Belzebug miracula patrare calumniati sunt. Certe, si redivivus comparuisset: credere nolissent; vel enim obstinati apparitionem tacuissent, & neglexissent, aut arte Dæmonum spectra & umbras vidisse dixissent. Scire demum volunt Libertini cum Woolstonio, quare Jesus a mortuis resurgens Synagogæ Principibus non comparuerit? aliud sane respondere non possum, nisi quod noluerit; rationes si scire amant, Thesauros scientiarum Dei, & inscrutabilia Dei Judicia intrent; sed dicere cogor, *tu quis es,* qui cum Deo rationem ponere præsumis? Interim dico tibi, quia Deicidii se reos fecere, certe Beneficio hoc summo indigni fuere.

ARGUMENTUM QUARTUM.

In Resurrectionis facto multas reperiri contradictiones.

I. **P**rætensa Christi Resurrectio, ajunt quidam Libertini, tot contradictionibus scatet, ut de ejus veritate plus æquo dubitare liceat. Hæc Resurrectio post tres dies & a Prophetis, & ab ipso Jesu Christo prædicta fuit, sed computu dierum ducto, non tertio, sed altero die resurrexit; evidens signum, hanc anticipationem Discipulorum esse dolum, qui prævidentes sepulchrum die tertio visitandum, igitur altero die furati sunt corpus. Jejunium in sacris literis esse oportet, qui similia dicere audet; Eodem, quo

prædictum fuit, e sepulchro die surrexit Christus, Non solum Hebræis, sed & aliis populis imo & nobis ipsis hic dies computandi mos est:

Si dicam, a die Veneris die tertia ad te veniam, certe Dominica est, qua me expectabit. Sepultus est Jesus die Veneris, Dominica surrexit, ubi igitur contradictio? Audiamus oracula: (a) *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Oportet, inquit, (b) *filium hominis . . . crucifigi, & die tertia resurgere;* alibi dicit, (c) *tribus diebus & noctibus esse futurum in corde terræ* cet. Quærat, & legat incredulus omnes Scripturæ commentatores, an omnes hi. textus exprimant idem; Reperiet ita; quid ergo exprimunt? Diem Veneris, Sabbathi & Dominicam tres esse dies, ergo cum Dominico surrexit, tertio, in quo sepultus fuit, surrexit die.

II. Sed, inquiunt Evangelistæ in Resurrectionis tempore sibi contradicunt. Matthæus inquit, (d) *Resurrexisset Vespere Sabbathi;* Marcus dicit, (e) *valde mane una Sabbathorum orto jam sole;* Lucas dicit: (f) *valde diluculo;* Joannes dicit, (g) *cum adhuc tenebræ essent;* vespere & mane, tenebræ & orto jam sole certe contradicunt sibi. Quæ ineptiæ sunt istæ? Vespere vult idem dicere ac sero, sive in ultima parte alicujus diei, Matthæus igitur dicens vespere Sabbathi, vult dicere, in

(a) Joan. II. 19. (b) Luc. XXIV. 7. (c) Matth. XII. 40.
(d) Matth. XXVI. 28. (e) Marc. XVI. 2. (f) Luc. XXIV. 1.
(g) Joann. XX. 1.

in ultima parte Sabbathi, sive diei, sive Hebdomadis; utrumque enim exprimit Sabbathum; vult ergo S. Matthæus dicere, *transacto Sabbatho* sive diei sive Sabbathi, h. e. Dominico mane, id quod S. Marcus, sequens Matthæum, exprimit cum transisset Sabbathum per *diluculum orto jam sole*, h. e. oriente sole, qui tunc temporis tarde oriebatur; idem *Diluculum* quod S. Lucas habet; quod autem S. Joannes dicat, *cum adhuc tenebræ essent*, Græcus textus habet, *oriente aut orituro jam sole*, sive diluculo, quod diluculum & quoque a nobis tenebræ matutinæ vocantur, ubi nunc igitur prætenfa contradictio? — Sed, inquiunt, Critici nostri: *Sabbathum* computabatur a Judæis, velut omnis festus eorum dies, ab occasu solis, sic enim in Levitico scriptum: (a) *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbathâ vestrâ;* Igitur si S. Matthæus ait: *Vespere autem Sabbathi*, non mane sed vesperam intelligit; qui autem concordat cum ceteris dicentibus: *Mane, diluculo, orto jam sole.* Jam diximus, vesperam Sabbathi non indicare absolute tempus; sed ultimam partem Sabbathi exprimere, cum igitur ait, *vespere Sabbathi*, sive ut S. Marcus ait, *cum transisset Sabbathum*, & addit, ut ceteri, *valde mane*, sive *diluculo*; ubi nunc igitur strepitosa Evangelistarum contradictiones? Fors in eo, quod S. Lucas dicat, *Mulieres duos viros vidisse in sepulchro*, S. Joannes vero eos Angelos compellet; quod SS. Matthæus & Marcus unum commemorent Angelum; S. Joannes vero duos; & hos quidem dicat

sedentes, cum S. Marcus eos stantes enarret. Verum quæ contradictiones sunt istæ? Cum Angeli formam viri induerant, poterant & Angeli & viri compellari. Viri ob formam, Angeli ob naturam & vestem fulgentem. S. Matthæus & S. Marcus unum nominant Angelum, non excludendo alterum, sed indigitando illum, qui loquebatur. Locutio de Angelis, quasi stent aut sedeant, neutrum proprie exprimunt, sed solum simplicem eorum præsentiam; & hinc textus Græcus dictas locutiones per vocem supervenit, aut supervenerant, absque eorum situ exprimit.

*Ex hucusque dictis contra Incredulos deducta
Conclusio.*

I. **M**inime igitur Apostoli in puncto Resurrectionis J. C. decepti aut deceptores fuerunt, ut Increduli clamant & reclamant. Imo nequidem in eo decipi, nec decipere potuerunt. Utrumque evidenter est verum. Decipi non poterant, quia omnes possibiles adhibuere cautelas. Dubitarunt, quousque poterant, & ultra ac debebant. Credere renuerunt, usque dum propria sensuum suorum evidentiâ convicti resistere non potuissent. Sequamur vestigia eorum. Tertia a morte die de ejus Resurrectione desperabant, *Sperabamus, & nunc tertia dies est.* (a) Mulieres tam longe aberant, ut ejus Resurrectionem crederent, ut cum aromatibus valde ad monumentum properarent,

(a) Luc. XXIV. 21.

cum autem illud cadaver non reperirent, Magdalena furto ablatum ploravit. Jesus resuscitatus comparet illis; volant cum læto nuntio ad Apostolos, & *visa sunt ante illos sicut deliramenta.* (a) Eodem die duo, se sepe delusos credentes, abeunt in Emaus. (b) Jesus se associat illis, & per Scripturas eorum incredulitatem increpat; minime credunt, donec *in fractione panis cognoscerent eum*; revertuntur ad Apostolos, Jesum in via, eorum incredulitatem increpantem, comitatum fuisse, & in panis fractione agnovisse, narrant; narrat & Petrus, (c) *se Dominum vidisse*, sed frustra, increduli manent. Stat Jesus *in medio eorum, & dicit pax vobis.* (d) tremunt, turbantur, & credunt, se *Phantasma videre.* Ostendit eis *manus, carnem & ossa, adhuc illis non credentibus.* (e) Ut igitur omnem dubii scrupulum abigat, manducare oportet. *Manducat, & evidentiâ convicti mirantur, latantur.* (f) Sed Thomas, cui venienti Domini præsentiam narrant, *nisi videro, inquit candide, nisi tetigero, non credam.* (g) Conceditur utrumque, & tandem clamat: *Tu es Dominus meus, Deus meus.* (h) Igitur prius Resurrectionem non crediderunt, donec evidentiâ convicti ultra dubitare non potuerint; *per quadraginta enim dies in multis & diversis apparitionibus,* (i) cum viderent, loquerentur & manducarent cum ipso, & quingentis apparuisset simul, tandem evidentiâ omnium sensuum

adeo

(a) Ibid. 11. (b) Ibid. (c) Joann. XVIII. 20. (d) Luc. XXIV. 36. sequ. (e) Ibid. 41. (f) Ibid. (g) Joann. XX. 25. (h) Ibid. 28. (i) Actor. I. 3.

adeo erant convicti, ut homines non fuissent, si ultra dubitare voluissent; igitur nec sunt decepti, nec stante hoc ordine evidentiae decipi potuissent.

II. Igitur neque Deceptores fuerunt, nec si voluissent, decipi potuissent. Sed decipere voluisse, non dicam, eorum candorem, simplicitatem & sinceritatem ipsos ab omni suspitione doli absolvere, sed ex rationis compote quæro, quem igitur finem sui doli sibi præfigere potuerint, nisi absurdissimum & inconceptibilem? Finis doli certe non nisi ratione boni, commodi & lucri a rationali creatura præfigi potest. Si Jesus, ut promisit, a morte non surrexit, in quam utilitatem cum dispendio honoris, libertatis & vitæ inevitabili (ut docuit eventus) ejus resurrectionem prædicare constituere poterant? unde sperarent hoc commodum? A Magistro? Si fuit impostor, & eos tam misere delusit? certe, si ita fuisset, tacere & fugere unicum eorum commodum fuisset. Sed ponamus, eos deceptos decipere voluisse, nonne tale Projectum sibi formare debuissent: Mortuus est in cruce Magister, sæpius se die tertia surrecturum promisit; Nos in imaginario Regno suo elevare velle adseruit; sed nos decepit Impostor blasphemus, qui filium Dei se dixit. Verum quid tum? Prædicemus per mundum universum, quod surrexit vere, quod viderimus, audiverimus, tetigerimus eum & manducaverimus per quadraginta dies cum ipso, & quod tandem nobis præsentibus & videntibus in lucida hube Cælos conscenderit.

derit. Et quis erit hujus nostræ Imposturæ finis? conjiciemur in vincula, conspuemur opprobriis, moriemur crudelissima morte; & quid erit post hanc vitam, propria conscientia, ut blasphemii & seductores flagellati, incidemus in manus Indicis tremendi, æternas imposturæ pœnas laturo, quod Impostorem prædicaverimus Deum, qui neque se ipsum salvare poterat. Verum quid tum? Rideamus vincula, supplicia & mortes. Sed quid? si quidam ex nobis carcere, supplicii & morte deteriti Imposturam revelarent, & Traditores nostri pœnis convicti fierent? Quid tum? Rideamus hæc omnia, ut certissima pericula, cingamur, curramus, blasphememus, mentiamur & seducamus mundum universum. Dicat, qui velit, an Apostolis nostris tale systema, talem Projectum & Imposturam tot periculis præsentaneis plenam vel solum adfingere audeat? Vidimus forsitan homines, qui in pertinacia erroris Heretici mortui fuere; Sed ob dolum & imposturam practicam, h. e. de qua & mente & animo convicti fuere, quinam supplicia & mortem subierint, hoc est, quod demonstrandum expecto. Phreneticum ne adferant, protestor; sed quod integra societas phrenesi hac ad carceres & mortes fuerit rapta, quæ noverit, se imposturis ludere & ludi, & societas quidem, quæ doctrinis suis rationem sanissimam comprobavit, hoc, inquam, est, quod monstrandum expecto. Verbo, si quis ostenderit mihi, ob factum Chymæricum, & creditum & agnitum, vel unum solum ratione sanum inter supplicia sanguinem & mor-

tem fuisse, cum fugere potuerit, tum impossibilem hunc Projectum possibilem admittam.

III. Supponamus tamen adinstans; Apostolos fuisse tales Impostores, qui spretis his omnibus, mundum decipere voluerint; quem ergo increduli Executionis Projectum ipsis formant? — Aut Apostolos Cadaver Christi furatos esse, aut in sepulchro reliquisse; alius Projectus fingi non potest. — Furatine sunt? Hebræi in ipsissimum hunc finem sepulchrum milite custodierunt; Quomodo igitur furati? Milite auro corrupto? Non habent pauperes. Milite dormiente? Sane milite ex condicto & mercede sepulchrum custodiente indignissima cogitatio! Sepulchrum infringere, lapidem grandem amovere, cadaver timidos & trementes in medio militum & custodum furari, dormiens miles sufferat? Sic est, dormierunt, & Discipuli abstulerunt. Quis vidit? Dormiens miles? Et dormienti credatur testi? In qua curia? Spirituum fortium? Sane indignum iocum & effugium? Aut non dormierunt? Et furari permiserunt? Sed Sacerdotum auro corrupti, se dormisse confessi sunt, quid ultra? falsum eos loqui. Furari igitur, quia deprehenderunt, non poterant. Reliquerunt igitur in sepulchro? Et nemo eos Imposturæ accusavit? Nemo. Igitur & hoc falsum est; Discipuli igitur neque decepti neque Deceptores; imo nequidem decipi aut decipere poterant; iverunt igitur in mundum universum, & prædicaverunt Jesum Christum, ut audiemus, a mortuis surrexisse; Prædicaverunt

rant inconcussam, & sanguine & morte sua firmatam veritatem: Jesum Christum a mortuis surrexisse.

ARGUMENTUM POSTREMUM REFELLITUR.

Christi in caelos ascensum, & Spiritus sancti Descensum esse Apostolicæ Imposturæ connexum.

I. *J. B.* Hoc omne est, quod increduli contra Christi in caelos ascensionem & Spiritus sancti missionem adferre sciverunt:

„ Hæc, inquit, factorum narratio aliud non est, nisi eadem, quæ resurrectionis est, Imposturæ Machina, & ejusdem Fanatismi & Phantasiæ fructus, qui in mente & Phantasia turbata somnia & Chymæras reali induere forma novit. Deceperunt & mentiti sunt primo, decipiunt & mentiuntur quoque secundo & tertio. „ Parcat Blasphemis Deus! Audio, Spiritus fortes civilissima, quam mentiuntur, mansuetudinæ. (Si etenim Christianos misera, rudia, & idiotissima, si dicere sic fas est, Sacerdotum & Monachorum Mancipia, Sacerdotes vero & Monachos turpes Impostores, inutilia terræ pondera, pecora campi, & qui sunt alii infiniti eorum tituli, calumniati fuere, mansuetissimi & politissimi mundi cives audiri cupiunt; quasi vero Sacerdotes & monachi, Christiani & Catholici concives sui non essent?) blasphemantis &

& delirantis Philosophiæ suæ criterio offendi; Proverbiū non dicam, non clamarent, si se tangi non sentirent; sed rogo ipsos, ut, quibus honorum titulis suam & Christum, & Apostolos, & omnes sanctos, totamque Ecclesiam stultos, deliros, Impostores, Fanaticos, Enthusiastes proscindendi audaciam cohonestari a nobis velint, edoceant, & par pari referre studebimus.

II. Videamus igitur, an narratio Christi in cælos ascensus & Spiritus S. de cælo descensus aut Impositura, aut Fanatissimi, ut increduli volunt, sint fructus. Arbitror ego cum eruditissimo Pascal, testes omnem mereri fidem, qui in testimonium facti oculis suis visi vitam & sanguinem fundunt. Invenio hos miseros Piscatores, dum Christus adhuc viveret, adeo meticulosos & timidos, ut vel solum ad catenarum strepitum ipsum derelinquerent, & sibi fuga consulere, unde igitur hic animus, hic ardor & zelus, ut post ejus in cruce mortem, cum sanguinis & vitæ effusione ipsum Deum & Salvatorem prædicarent, nisi resuscitatum & in cælos elevatum vidissent, & adpromissi Spiritus sancti virtute fuissent repleti ex alto? Audiamus factum: (a) Erant in die Pentecostes in uno loco congregati, subito audiebant sonitum quasi Spiritus vehementis; videbant ignem quasi linguas singulorum verticibus insidentes; sentiebant se repleti Spiritu sancto, & incipiebant diversas effari linguas. Se totos alios
sentiunt

(a) Actor. C. II.

sentiunt homines. Erant ignorantes, timidi & abjecti animi, subito se sentiunt repletos scientiis divinis, corde & animo impavido prodeunt in Publicum, & annuntiant Jesum Christum & Evangelium ejus. Vix patriam noverant linguam, & audiunt Parthi, Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Cappadociam Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum, Lybiam, Cretes, Arabes & Romani ipsos sua lingua loquentes: Stupendum hoc miraculum non in secreto, non in quodam triclinii angulo, sed in publico successit; ad venti sonitum confluxere Advenæ & incolæ; vident, audiunt, & admirantur. Quid respondent ad hæc facta increduli & Libertini? Aut naturæ, inquirunt, effectus, aut Imposituræ, aut Fanatissimi fructus sunt. Verum dicant nobis, ergone in temporis instanti, patrare miracula & omnibus loqui linguis, addiscitur natura vel arte? Dicant nobis, qui fascinari potest tam ingens hominum ex omni mundi parte congregatorum multitudo, ut credat videre & audire id, quod nullo modo vident & audiunt, ignem, strepitum, ventum vehementem, linguas omnes ex ore ignorantium prolatas? Quodnam igitur esset hoc novum fascinandi, & Imposituras texendi genus? Explicent nobis, si queant. Quid autem dicent, si vident ad hoc visum & auditum prodigium, & ad Primum Petri Apostoli Sermonem (a) tria millia horum spectatorum ad fidem Jesu Christi converti, & irrefragabiles hujus veritatis fieri testes? Quid dicent, cum post dies

P

paucos

(a) Actor. I, 41.

paucos vident alia (a) *quinque millia* hominum eandem amplecti fidem, & quidem in tempore illo, ubi recens opprobriosæ Jesu Christi mortis memoria eorum spiritus & animos deberet alienare, & implacabili seductoris, si talis fuisset, incendere odio? Negent, si possint, hæcce prodigia, has animorum conversiones in circumstantiis minus faventibus esse invincibilem Deitatis, dignitatis, veritatis, & miraculorum in Pentecoste patratorem probationem & evidentiam. Si seductor fuisset, certo certius imposturæ ipsius cum Cadavere suo fuissent consepultæ, & nomen ipsius non fuisset memoratum amplius, nisi quod fuisset seductor populi in crucis patibulo affixus, ut in Hebrææ gentis Annalibus alii falsi Messia & Impostores reperiuntur consignati. Ipsi Apostoli confusi, erubescerent & pœnitentes ad vile suum reversi fuissent opificium, dolentes, se fuisse deceptos, nilque eorum vidisse & accepisse, quæ Magister tot solennibus & magnificis jactaverat promissis. Et quodsi in publicum prodire, & has imposturas ceu veritates annuntiare præsumpissent, quis credidisset eorum Sermoni? quis non eorum aut repressisset, aut derisisset audaciam atque deliria?

III. Verum res tota alia successit, Spiritus sanctus super ipsos de cœlo descendit, &, ut promiserat Jesus Christus ipsos omnem docuit veritatem, & donis replevit cœlestibus. His donis repleti, his divinis accensi flammis per orbem volant universum, prædicant

(a) Ibid. IV. 4.

Jesum Christum crucifixum, sed resuscitatum, elevatum in cœlos, sedentem ad Dexteram Patris, mittentem Spiritum sanctum, quo repleat baptisatos, & quo ipsi baptisati, ut fuit prædictum, miracula patrant stupenda, universum convertunt mundum, & implantatam Jesu Christi Religionem suo fecundant sanguine & morte. Igitur Resurrectio & ascensio Jesu Christi & Messia Spiritus sancti non est imposturæ Machina, non Fanatismi delirium, ut Increduli blasphemant, sed invincibilis Jesu Christi, Deitatis & missionis suæ, & Missionis Apostolorum suorum, eorumque Evangelicæ doctrinæ Demonstratio. Crediti mundus, conversæ sunt gentes, & in dignam Deicidii penam reprobata est Synagoga, ut per Prophetas prædictum fuit; Est igitur impossibile & absurdum, Religionem a Jesu Christo & Apostolis suis plantatam non esse veram atque Divinam. Sed hæc sunt Capitulorum sequentium argumenta.



CAPUT QUINTUM.

DEMONSTRATUR, PROPHETA-
RUM ET JESU CHRISTI ORACULA
DE MUNDI CONVERSIONE ET ECCLESIAE
CHRISTIANAE STABILITIONE IN PRÆDI-
CATIONE EVANGELII ESSE
ADIMPLETA.

SECTIO PRIMA.

S. I.

*Adferuntur Prophetarum & Jesu Christi
de mundi conversione Oracula.*

Quenam in mundi Jesu Christi in terris Adventu fuerit facies, ita ut mundus pene universus Idololatra Deos adoraret alienos, & coleret saxa & ligna, & solum in parvo mundi angulo, Hierosolymis scilicet, verus adoraretur Deus, quæ tamen ipsa Hebræorum Religio Phærisæorum & Sadducæorum deformata Sectis, & humanis Scribarum & Sacerdotum Doctrinis, superstitionibus, & traditionibus deturpata erat,

erat, ex eorum temporum constat Historiis. Hunc autem mundum adeo perversum in Religione, adeo depravatum in moribus, intra breve temporis spatium ad agnitionem & cultum veri Dei fuisse conversum, & morum sanctimonia immutatum, Sacra & Ecclesiastica nobis enarrat Historia. Unde autem Miraculum tantum? Ex sola prædicatione Evangelii Jesu Christi, ut prædixerant Prophetæ, & prophætaverat Jesus Christus, quæ Oracula, quam accurate & ad literam adimpleta fuerint, id est, quod modo demonstrare oportet, ut incredulus agnoscat, non esse aliam, in quâ salvum fieri licet, Religionem, ac Christianam, eamque esse unicam veram atque Divinam.

S. II.

Adferuntur Oracula Prophetarum.

I. *Ad* vidimus, Deum lapsa humano generi ab initio adpromississe Messiam & Redemptorem, & cum eandem promissionem repeteret Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Moyfi, Davidi aliisque Patriarchis, expresse confirmasse, in hoc semine adpromisso, quod esse Jesum Christum Deum ac Dominum nostrum in prioribus evidenter demonstravimus, benedicendas esse omnes gentes, nationes & populos terræ. Quæ autem largior Gentium & omnium populorum benedictio desiderari & sperari potuit, quam ut ad agnitionem Veri Dei, salvificum ejus cultum convertantur,

& ad id, ad quod hominem condidit, Regnum cœlorum, quæ est in terris ab ipso fundata Ecclesia, & in cœlis hæreditas sempiterna, adducantur? Hanc felicitatem humani generis certo certius esse futuram, Divina pietas & misericordia per suos Prophetas prædicari & annuntiari fecit. Audiamus:

II. *Omnes Gentes*, ait Dominus per Prophetam David: (a) *Quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum; quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Et rursus: (b) *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi finis terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Similia habet Psaltes Regius pluribus in locis, quibus exscribendis supersedeo. Audiamus Isaiam: (c) *Et erit in novissimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exhibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos.*

Et paulo infra ait idem Propheta: (d) *Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum,*

(a) Psalm. IXXXV. 9. 10. (b) Psalm. XXI. 28. 29.
(c) Isai II. 2. & sequ. (d) Ibid. 17. sequ.

rum, & elevabitur Dominus solus in illa die. . . . In illa die projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas & vespertiliones. Et alibi ait: (a) *In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum. Et oculi ejus ad sanctum Israel respicient; Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerant manus ejus, & quæ operati sunt digiti ejus, non respiciet lucos & delubra.* Idem dicit Sophonias: (b) *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopia inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent manus mihi.* Idem & prædicat Jeremias: (c) *In tempore illo vocabunt Jerusalem solum Domini, & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.*

III. Magnam autem hanc Gentium Conversionem Ministerio prædicationis per electos suos futuram esse pariter Prophetæ in diversis locis vaticinati fuere. In omnem terram, ait Psalmista, (d) *exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et alibi: (e) *Pro Patribus nati sunt tibi filii, constitues eos Principes, super omnem terram, memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem; propterea populi consitebuntur tibi in æternum, & in seculum sæculi.* Clarius hoc Vaticinium exprimit Isaias, inquit: (f) *Venio, ut congregem*

(a) Isai. XVII. 7. & sequ. (b) Sophon. III. 9. 10.
(c) Jerem. III. 17. (d) Psalm. XVIII. 5. (e) Psalm. XLIV. 17.
(f) Isai. LXXVI. 18. sequ.

gregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum; & mittam ex iis, qui salvati fuerint, ad gentes, in Africam & Lydiam tendentes sagittam; in Italianam & Græciam, ad Insulas longe, & ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & quadrigis & in lecticis, & in mulis, & in Carrucis ad Montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant Filii Israel munus in vase mundo in Domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas dicit Dominus. Et cum prædicata fuerit hæc Lex nova, quæ exiit de Sion, & verbum Domini de Jerusalem, quid futurum sit de Ecclesia sua stabilienda in universo mundo describit Psalmista: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumina usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & Insula munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei. . . & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei. . . Sit nomen ejus benedictum in Secula, ante Solem permanet Nomen ejus, & benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes Gentes magnificabunt eum.* De quo Vaticinio S. Hieronymus scribit: (a) „Hic mos est Scripturæ sanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in Typis, juxta illud,

„ quod


(a) Psalm. LXXI. 8. sequ. (b) S. Hieronym. in Daniel. XI.

„ quod de Domino Salvatore (per orbem universum „ adorando) in septuagesimo primo Psalmo dicitur, „ qui prænotatur Salomonis, & omnia, quæ in eo „ dicuntur, Salomoni non valent convenire. Nec „ enim permanfit ille cum sole, & ante lunam Generationis Generationum; neque dominatus est a mari „ usque ad mare, & a flumine usque ad terminos „ orbis terrarum; nec omnes gentes servierunt ei, „ neque ante solem permanfit Nomen ejus; Nec bene- „ dictæ sunt in eo omnes tribus terræ, neque omnes „ gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem & „ quasi in umbra & imagine veritatis in Salomone „ præmissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectius „ implerentur. „ Cum igitur nec in Davide, nec Salomone, aliove Patriarcha aut Propheta dicta Prophetarum Oracula adimpleta fuere, igitur non nisi de Messia venturo intelligi possunt, qui per electos suos Ministros hoc magnum gentium & totius mundi conversionis & Ecclesiæ suæ stabiliendæ miraculum & opus per Prophetas tam clare manifestatum exequatur. Videndum igitur superest, an in Jesu Christo suisque Ministris in mundum universum ad prædicandum Evangelium summi missis hæc Prophetiæ ad literam fuerint adimpletæ. Antequam autem ad hoc eruendum procedamus, prius ipsius Jesu Christi audiamus Oracula, quibus hanc universalem mundi & Gentium conversionem prædixit, ut, an ad literam fuerint adimpleta, conspiciamus; semper etenim animis nostris consummata illa veritas alte infidere debet, quod vera Oracula

Prophetica nonnisi evidentissimus sint Veritatis & Divinitatis index.

§. III.

Adferuntur Jesu Christi de Mundi & Gentium conversione & Ecclesia sua stabilenda Oracula.

I.  rant quidam Gentiles, enarrat S. Evangelista Joannes, (a) ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo; Hi ergo (Gentiles) accesserunt ad Philippum & rogabant eum, dicentes: Domine volumus Jesum videre. Venit Philippus & dicit Andrea; Andreas rursus & Philippus dixerunt Jesu: Jesus autem respondit eis dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis (scilicet inter Gentes) Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Ni fallor Redemptor dicere voluit, ut clarificetur Filius hominis inter Gentes, prius in cruce mori & sepeliri ipsum oportet; sed cum resurrexerit, annuntiabitur gentibus, & multum fructum inter gentes feret. Post pauillum ait Jesus: (b) Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ stabat (quam inter & Gentiles erant) & audierat, dicebat tonitruum esse factum; Alii dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, & dixit:

(a) Joann. XII. 20. (b) Ibid. 28. sequi.

dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Credo ego, si intelligo Scripturam; vel præcipue propter Gentiles, qui caelestia & superna ignorantes fors dixerant, tonitruum esse factum. Rogavit propterea Jesus Patrem, ut clarificaret eum inter Gentes, quas redempturus & vocaturus venerat; Respondit igitur vox de caelo: Et clarificavi (h. e. dum Pater in Baptismo filio de caelo audientibus Judæis diceret, hic est Filius meus dilectus) & iterum clarificabo (scilicet inter Gentes) sed quando? Audiamus Jesum. Nunc Judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, scilicet per conversionem gentium; hinc subjungit: Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Jesus Christus crucifixus trahet igitur omnia, omnes scilicet Gentes & Nationes ad adorandum verum & unicum Deum, & suum filium unigenitum Jesum Christum per prædicationem Evangelii sui, ad quod prædicandum destinavit & misit Apostolos suos: (b) Euntes ergo docete omnes Gentes (per quæ verba eos proprie misit in mundum universum) baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis; aut ut refert S. Marcus: (c) Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Et apud Matthæum ait: (d) Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. Et ante discessum suum agebat Apostolis suis: (e) Accipietis virtutem super-

(a) Joan. XII. 31. (b) Matth. ult. 19. (c) Marc. XVI. 15.
(d) Matth. XXIV. 14. (e) Act. I. 8.

venientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

II. Prædixit & ipsis modum prædicationis suæ, quomodo Evangelium & prædicationem ac missionem suam sint stupendis miraculis & prodigiis firmaturi; & quanta demum pro ipso & Evangelio suo passuri: (a) Ecce, inquit, dedi vobis potestatem, calcandi serpentes & scorpiones; & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Et alibi: (b) Euntēs autem prædicate, dicentes, quia appropinquavit Regnum cælorum; Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mandate, demones ejicite. Imo & ipsis prædicit hanc virtutem prodigia operandi, qui audierint, & crediderint Evangelio: (c) Signa autem eos, qui crediderint; hæc sequuntur: In Nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt.

III. Persecutiones vero, quas passuri essent, prædixit his verbis: (d) Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum; Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ; cavete autem ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos; & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos,

nolite

(a) Luc. X. 19. (b) Matth. X. 7. sequ. (c) Marc. XVI. 17. (d) Matth. X. 16.

nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater filium, & insurgent Filii in Parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter Nomen meum. Et rursus: (a) Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus Gentibus propter Nomen meum. Et apud S. Lucam ait: (b) Injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in Synagogas & curias . . . Contiget autem vobis in testimonium. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit; Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo; Si me persecuti sunt, & vos persequentur. . . Sed hæc omnia facient vobis propter Nomen meum.

Et rursus: (c) Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini; Absque Synagogis facient vos, sed veniet hora; ut omnis, qui interficiet vos, arbitratur Obsequium præstare Deo; Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Imo prædixit fere singulis, qua morte morituri erant.

Cum

(a) Matth. XXIV. 9. (b) Luc. XXI. 12. sequ.

Cum diceret Mater filiorum Zebædei ad Jesum: (a) Dic: ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram & unus ad sinistram in regno tuo, respondit: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus, ait illis; Calicem quidem bibetis, scilicet calicem passionis mortis & doloris.

Cum Petrus tertio contestatus esset amorem suum, & dixerat ei Jesus: (b) Pasce oves meas, subjunxit: Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendens manus tuas (in cruce) & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit, ait S. Joannes. significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Ex his aliisque plurimis sacri Evangelii verbis videre licet, Jesum Christum Gentium, totiusque mundi, ad agnitionem & cultum veri Dei conversionem, Evangelii sui per Apostolos prædicationem, signis & virtutibus firmatam, Ecclesiæ suæ stabilitatem, ac denique eorum pro Jesu Christo & Evangelio suo passionem & mortem futuram clarissime prædixisse; An autem Prophetarum & Jesu Christi Oracula adimpleta sint, disquiramus.

SECTIO

(a) Matth. XX, 20. sequ. (b) Joann. XXI. 11. sequ.

SECTIO SECUNDA.

ADIMPLETA SUNT PROPHETARUM ET JESU CHRISTI ORACULA.

§. I.

In Prodigijs Jesu Christi crucifixi, ejusque Evangelii prædicatione.

I. **R**eflectere oportet, quibus prædicare debuerint Apostoli, quid prædicaverint, & cuiam & quomodo prædicaverint, ut prodigiosam prædicationem admirari possimus. Missi erant Apostoli, ut prædicarent Judæis & Gentibus. Judæi erant implacabiles Jesu Christi & ejus doctrinæ inimici, quod odium suum execrando probarunt Deicidio. Gentes quæ fuerint, ex solis discimus Romanis: Roma enim tunc temporis erat Domina mundi.

Devicta Græcia, subjugata Asia, superato Ægypto, immensæ Romam fluebant divitiæ, & cuncta Gentium cum divitiis superstitiones & vitia. *Asia Romanorum facta cum opibus suis*, ait S. Justinus, (a) vitia quoque Romam transtulit; Mollities, luxus, fastus, pompa, immodestia, libido, petulantia, Cæsarum & Quiri-

(a) Iustin. L. XXXVI.

Quiritum exemplo & civium in solentia probata dominabantur ubique. Juvenalis hæc paucis testatur: (a)

*Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem;
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. . .
Prima peregrinos obscæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.*

Mores erant depravati, Avaritia divitum, fastus crudelis Magnatum, crapula & otium Civium, Circis & spectaculis immerforum, Plebis arrogantia & petulantia, sceminarum impudentia, juventutis dissolutio omnes infecerunt conditiones sexus & ætates. Ex Græcia cum Philosophia Romam transferant scientiæ & artes elegantiores; Philosophi, Rhetores, Poetæ, Artistæ summum tempore Augusti perfectionis, etiam hodierno literario orbe teste, gradum conscenderant, sed semper Græcorum vestigiâ, licet æmuli prementes; Eo Græcorum delectabantur genio, ut & in vita civili non nisi Græcorum utebantur moribus, Horatio teste: (b)

*Venimus ad summum fortunæ pingimus atque
Psallimus, & luctamur Achivis doctius undis.*

Etiam

(a) Juvenal, Satyr. VI. v. 29. (b) Epistol. L. II. Epist. I. ad August.

Etiam Mulieres Græculæ erant: (a)
. Se non putat ulla

Formosam, nisi quæ de Thufca Græcula facta est.

Quid dicam de temporis illius Religione? Quid quid Mythologia & Phrenesis humana de Diis & Idolis somniaverant, Religionis Romanæ Systema intraverat. Deorum, quos colebant, infinitus erat numerus, & nulla erat natio a Romanis devicta, quarum Dii non reperiebant Romæ templa, ritus & cultus, licet sæpe ridiculos & nefandos, imo crudeles. Ipsi Cæsares erant Pontifices Maximi, & ipsi Senatores sanguine & munere conspicui, aut erant Ministri, aut Inspectores. Et Pax & Bella, & ardua negotia quæque regebantur auguriis, & sive Politica arte, sive superstitione futuros decernebant eventus. Talis erat Roma, & cum dominaretur orbi, orbis gentilis universus, quia Præfides, Belliduces, Magistratus, Mercatores, aliique, imo & Cæsares hos in Metropoles omnes devehebant mores, superstitiones & vivendi & sentiendi naturas. His igitur Gentibus, huic mundo corrupto prædicandum erat Apostolis.

II. Et quid? Jesus crucifixus & Evangelium ejus. Quis erat iste Jesus in oculis Gentium? Homo ex paupere familia in Judæa natus, in vita obscura & plebeja enutritus, a proprio suo populo sub Pontio Pilato Tiberii in Judæa Præside in crucem publice actus, mor-

Q

(a) Juvenal. Satyr. VI.

tus

tuus & sepultus. Crucifixus igitur & Judæus, Judæus, quorum & nomen, Tacito teste, ciebat Romanis nau-seam & Orexin. Et quidem crucifixus; cum teste Cicerone Romanis illa horribilis infidebat Idea, ut dicerent: *Nomen ipsum crucis abfit, non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus, harum enim omnium rerum non solum evenius atque perpeffio, sed etiam conditio, expectatio, mentio ipsa denique indigna cive Romano atque homine libero est. Et quid prædicabant de hoc Jesu crucifixo? Quod fit unigenitus Dei unius & solius Filius, Patri consubstantialis, unus cum Patre & Spiritu sancto Deus, Deus immortalis, invisibilis, & tamen incarnatus: ex virgine natus, passus, & mortuus.*

Quæ nova, quæ inconceptibilia superbis his Philosophis dogmata? Hunc in cruce mortuum surrexiffè vivum, conscendisse cœlos, sedere ad dexteram Patris, & iterum venturum esse, ut omnem hominem a mortuis resurgentem judicaret per ignem, bonos æternum esse præmiandos, malos æternum cruciandos. Principia, quæ ridebant Athenienses, dum prædicaret Paulus Athenis, (b) & quæ Plinius quoque ipsi Divinæ Omnipotentæ impossibilia dicebat: *Namque nec sibi, potest, ait, (c) Deus mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis, nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos.* Et possibile fuerit,

(a) Pro C. Rabirio perduell. C. V. (b) Actor. XVII. (c) Libr. II. C. 7.

fuerit, ut Religio hæc nova inter Gentes radices agat, & ipsæ cruci caput inclinarent?

III. Et quis erat Evangelii tenor, quod prædicandum erat? Paupertas & humilitas, voces superbis & divitibus hæc populis inauditæ & exosæ. Continentia & castitas; mollibus & omni libidinis genere, etiam Deorum cultu sacratio, immerfis adeo invisæ Mortificatio & crucifixio sensuum; contemptus divitarum; abstinencia a spectaculis; choreis; convivii; crapulis; amor proximi; quis denum fuerit, & inimicorum quoque, ac beneficentia erga eos, qui calumniati; persecuti; & noxii fuere; pœnitentiæ rigor; custodia sensuum; imo & cogitationum & ipsorum cordis affectuum, victoria denique & oppressio omnium passionum atque cupiditatum;

Et hæc Principia, hoc Evangelium inveniant aures & animos in populo voluptatibus, passionibus & cupiditatibus immerso & absorpto. Et populus iste fiet Christianus? Christianus, qui tunc temporis spernebatur ubique ut vilis, ut miser, ut maleficus, ut impius; inimicus societatis humanæ; Cæsaris atque Deorum; & qui erat objectum odii, persecutionis, & abjectionis commune. Ergo, narrat Tacitus, (d) *abolendo rûmori Nero subdidit reos, & questissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat.* Idem dicit & Suetonius: (b) *Afflicti suppliciiis*

Q 2

(a) Annal. L. XV. C. 44. (b) In Neron, XVI. Christi

Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ. Et superbæ hæ gentes Christianorum induant nomen, quos Romani compellabant in Inscriptione Neronis (a) *Latrones, Destructores Reipublicæ*; quos Suetonius dicebat (b) *homines contemptissimæ inertia*; Juvenalis (c) *Cerdones vilissimos*; Cæcilius (d) *Progeniem Plautinam, pistores, homines inurbanos, rudes, plebejos & ultimam mundi facem*; Lucianus (e) *Idiotas, reos Cænarum Tiesæarum & concubitus Edipodæi, & quæ sunt alia horribilissima scelera, quorum ratione ipsos compellabant mundi pestem, & terræ cælique abominationem, & hinc existimabant, ut ait Tertullianus, (f) omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse in causa; si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum sterit, si terra movit, si fames, si lues statim Christianos ad Leonem.* Et credibile nunc sit, gentes superbas ad vexillum Jesu Christi crucifixi esse transfuros, cum viderent eos perdere substantias, domos, patriam, filios, libertatem & vitam, & eorum loco exilia, carceres, vincula, tormenta & mortem expectare Christianos?

IV. Et hæc tamen erat Religio, quæ Gentibus debebat prædicari. Et qui erant hi prædicatores, & quibus modis & mediis prædicabant? Erantne Prædicatores isti Socrates, Platones, Aristoteles, Demosthenes, Cicerones? Quæ erant eorum media? Eloquentiæ

(a) Apud Gruter. p. 238. (b) In Domitian. XV. (c) Sætyr. IV. (d) Apud Minut. Fel. in Oct. C. 14. (e) De Morte Peregrin. (f) Apolog. C. XL.

robur, armorum potentia, promissionum blanditiæ? Videamus. Elegit igitur Jesus ad prædicandum Evangelium, ad subvertendam Idololatriam, ad confundendam humanam sapientiam, ad reclinandum Imperii caput, & omnes populos terræ ad crucem Jesu Christi, quæ erat Judæis scandalum & Gentibus stultitia, homines nudos, simplices & adeo scientiis destitutos, ut ne quidem prima literarum scirent Rudimenta, ut ipse Celsus, ait Origenes, (a) *hac parte libenter credit Evangelistis vera dicentibus.* Hos igitur duodecim ex Gente Hebræa adeo exosa, conditione miseros, quia piscatores, a polito & culto Romanorum & Græcorum genio adeo remotos, quia plebeji & laceri, sine pera & baculo, pauperes elegit sibi Jesus, ut prædicarent Crucifixum, & annuntient Evangelium suum, ut mundum convertant universum. Certe attonitus deberet hæerere mundus, & propositum tale stultitiam exhibilare, nisi veritatem comprobasset eventus. Videamus igitur prædicantes.

V. Pauperes & timidi hi Piscatores erant propter metum Judæorum Cænaculo inclusi, cum descenderet in eos Spiritus sanctus. Quæ mutatio dexteræ Excelsi! Sicut Leones ignem spirantes prorumpunt in forum, se sistunt ad frontem populi Israelitici & alta voce exclamant: (b) *Viri Israelitæ, audite verba hæc; Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri,*

Q. 3

(a) Orig. L. I. contra Cels. (b) Act. II. 2. sequ.

vestri, sicut & vos scitis; hunc desinito consilio & prescientia Dei traditum, per manus iniquarum affligentes interemistis; Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni. . . (a) Certissime ergo sciat omnis Domus Israel, quia & Dominum cum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. His autem auditis, compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit agite, & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum nostrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. . . . Et apposta in die illa animæ circiter tria millia. Occasione claudi ex utero matris a Petro sanati cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis stupentes; Videns autem Petrus respondit ad populum: (b) Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc, aut nos quid inveniunt, quasi nostram virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham & Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati judicante illo dimitti, vos autem sanctum & justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, Auctorem veræ vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus cet. Loquentibus autem illis ad populum, (c) supervenerunt Sacerdotes et Magistratus templi et Sadducei . . . et injecerunt manus in eos, et posuerunt eos in custodiam. . . . Multi autem eorum, qui

(a) Ibid. 36. seq. (b) Actor. III. 1. (c) Actor. IV. 1. sequ.

qui audierunt verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. . . (a) Et vocantes eos, denun- tiaverunt, ne omnino loquerentur et docerent in Nomine Jesu. Petrus vero, et Joannes respondentes dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate; Non enim possumus quæ vidimus et audivimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos. (b) Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et (iterum c) injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica; Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos dixit: Ite et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. . . invraverunt diluculo in templum, et docebant. . . Et cum adduxissent illos, statuerunt in Concilio; et interrogavit eos Princeps Sacerdotum: Precipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce repletis Jerusalem doctrina vestra. . . . Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua. . . . Et nos sumus testes horum verborum. . . . Et convocantes Apostolos, cuiusvis denun- tiaverunt, ne omnia loquerentur in Nomine Jesu, et dimiserunt eos. . . . Omnium autem die non cessabant, in templo et circa domos docentes et Evangelizantes Jesum Christum. Non autem solum Hierosolymis sed in omni circa Regione prædicabant & annuntiabant

Q 4

Judæis

(a) Ibid. 18. sequ. (b) Actor. V. 12. (c) Ibid. 18. sequ.

Judæis Jesum Christum crucifixum & sanctum ejus Evangelium,

VI. Tandem ab Herode occiso Jacobo fratre Joannis, & Petro ex Carcere per Angelum liberato, & Saulo in Paulum converso, & Gentium Apostolo destinato, Deicidas deseruere terras, transierunt maria, deserta, montes & valles, & usque ad novos penetrarunt cœlos, & ad extremos terræ fines, ubique prædicantes Jesum Christum & hunc crucifixum, mortuum & resuscitatum, qui verus est Deus. Ubiq̄ue patientes contradictiones & persecutiones, famem & sitim, frigus & æstum, paupertatem & nuditatem, pericula & naufragia, carceres, virgas & flagella, irrisiones, tormenta & mortem semper prædicantes Jesum Christum & Evangelium suum; prædicantes in facie Judæorum & Paganorum, Regum & Principum, Philosophorum & plebis, Imperatorum & Tyrannorum; prædicantes in carceribus & equuleis, in cruce & rotis, ad ultimum usque suspirium vitæ, ubiq̄ue vitam & sanguinem pro prædicato Dei verbo fundere parati. Et hoc modo intra spatium viginti aut triginta annorum sparserunt Religionem Christianam per omnes mundi angulos, & eorum testimonia mundus credidit universus, & ubiq̄ue adoraverunt Jesum Christum suffixum ligno, resuscitatum a mortuis, verum Deum & Redemptorem. Quis hæc legit & audit, & non attortus convincitur, primam Prophetarum & Jesu Christi Oraculorum partem, Missionem scilicet & Prædicationem

nem unius & solius Dei & Filii sui Jesu Christi Messiae & Redemptoris nostri ad literam esse adimpletam? Non per manus & opera hominum, sed per virtutem illius, qui descendit de cœlo super Apostolos, Spiritus sancti, qui renovavit faciem terræ, scilicet.

S. II.

In Conversione Gentium.

I. **D**iximus pauperes hos piscatores deserto patrio Deicida solo ivisse ad Gentes, dicentes: (a) *Vobis (Judæis) oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes; sic enim præcipit nobis Dominus: Posuit te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Veniunt Athenas, Corinthum, in Ægyptum & Asiam, & ad ipsam mundi Dominam, Romam, & ad omnes mundi partes, & prædicant ubiq̄ue. Prædicant, Jesum crucifixum in cruce mortuum verum esse Deum; & mundus adorat; Idola esse opera manuum, & Deos a populis tot ceremoniis cultos esse Dæmonia & figmenta hominum; credunt & confringunt idola. Prædicant conversionem animorum, & moribus immutatis renovandam esse vitam ad Exemplar Jesu Christi; convertuntur, immutant & renovant, ut alibi audiemus. Prædicant ex amore Jesu Christi, perdendas esse substantias, derelinquendam esse*

Q 5

(a) Act. XIII. 16.

esse Patriam, domum, parentes & proles, fundendum sanguinem & vitam. Perdunt, derelinquunt, fundunt, Huic novo Prædicationis generi sese opponunt Sacerdotes, Philosophi & Cæsares; omnes viribus uniti persequuntur Præcones; Verum superbiam Sacerdotum vincit eorum humilitas, Philosophorum argutias confundit eorum simplicitas, & Tyrannorum ac Cæsarum potentiam superat eorum patientia, atque constantia. Vincuntur quidem, & sanguine pro fide effuso extinguuntur, sed morientes prædicant, & prædicata triumphat fides in Jesum Christum & sanctum Evangelium suum, & mundus universus eorum constantia devictus, quem persequebatur, Jesum Christum adorat. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, narrant Acta Apostolorum (a), et glorificabant verbum Domini, et crediderunt, quotquot præordinati erant, & universus conversus est orbis, ut in Prophetarum & Jesu Christi oraculis prædictum fuerat.

II. Neque de veritate dubitare licet, quam ipsæ testantur Gentes, & Christiani conversi tot monumentis fide dignis firmatam consignerunt. Pauca quædam eorum seligere liceat. Jam tempore Neronis testatur Suetonius, fuisse ingentem Christianorum multitudinem: *Auctor nominis ejus* (Christiani, sunt verba Taciti b) *Christus*; Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitialis superstitio, rursus erumpebat; non modo

per

per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam. . . . Igitur primo correpti, qui facebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens: Idem testatur S. Clemens Romanus, qui de Athletis fidæ nostræ Petro & Paulo sub Nerone occisis verba faciens ait: (a) *His viris . . . aggregata est ingens multitudo* (phrasi qua Tacitus utitur: *πῶλον πληθὺς εκκλητοῦ*) *electorum, qui inter multas contumelias, multaque tormenta, propter emulationem passi, exemplo pulcherrimo apud nos fuerant.* Taciti testimonio jungimus illud Dionysii: (b) *Domitianus cum alios multos, tum vero Flavium Clementem Consulem (etsi is consobrinus erat, ac Flaviam Domitillam, et ipsam Domitiani consanguineam uxorem habebat) morte affectis, ob illatum ambobus crimen impietatis in Deos (ecce Christianam fidem) quo crimine et alii plures, qui ad mores Judæorum aberraverunt (Christiani enim Judæi habebantur, quia Christus ex Hebræis oriundus) damnati sunt; quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla tantummodo in Pandateriam relegata est.* Tempore Plinii Junioris vice Prætoris in Bithynia Christiani jam in omnes partes dispersi reperiebantur, ut ipse testatur in Epistola ad Trajanum: (c) *Visa est mihi res digna consulatione propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicus etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est . . . prope jam desolata templa,*

&

(a) I. Epist. ad Corinth. §. VI. (b) Xiphil. ex Dion. in Domitian. n. 14. (c) L. X. Epist. 97. ad Trajan.

(a) Ibid. 48. (b) Annal. L. X. c. 44.

& solemnia diu intermissa. Idem scribebat primus Palestinae Praeses Tiberianus ad Trajanum: (a) Defatigatus sum puniendo, & neci tradendo Galileos, qui nobis veniunt sub nomine Christianorum, secundum vestra mandata. Illi vero non cessant ad sedem sese patefacere. Quod testantur Pagani, testantur & Christiani ad fidem Jesu Christi conversi.

III. S. Ignatius Martyr scribens ad Philadelphos testatur, (b) Ecclesiam fundatam in sanguine Christi per labores & sudores Apostolorum sese extendere ab uno ad alterum terrae finem. S. Justinus Martyr in suo cum Tryphone Dialogo sub Antonino ait: Non est natio hominum Barbarorum & Graecorum, aut quocumque se demum appellaverit nomine, sive habitaverit in paludibus, aut in desertis, aut vixerint sub tentoriis, aut duxerint armenta ad pascua, quos inter in Nomine Jesu crucifixi preces, & gratiarum actiones ad Patrem Creatorem universi non dirigantur. Et S. Irenaeus narrat in tempore suo Christianas Ecclesias jam fundatas fuisse in Germania, in Hispania, in Gallia, in Oriente, in Aegypto, in Lybia, et in medietate mundi, Hierosolymis scilicet et in Judea. Et idem sanctus Martyr notabili testimonio adfirmat, omnes has novas Ecclesias Romanam ab Apostolis fundatam, seu suam respicere sedem & centrum: (d) Traditionem itaque Apostolicam, ait S. Martyr, in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui
vera

(a) Vide Suidam in Trajan. (b) C. IV. n. 117. (c) L. I. C. X. n. 2. (d) L. III. C. 3. n. 2.

vera velint videre. . . . Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximae & antiquissimae & omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatae & constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem . . . indicantes. . . . Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem Principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, Traditio. Hanc universalem Gentium Conversionem & prodigiosam fidei Christianae propagationem Tertullianus hisce verbis: (a) Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, Castralla, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, Forum. Et alibi. (b) In quem alium universae Gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit . . . ut jam Getulorum varietas, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversae nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vera subdita, & Sarmatarum & Provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quae enumerare non possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regunt, utpote ante quem omnium civitatum aperta sunt, et cui nulla sunt clausae, ante quem serae ferreae sunt comminutae, et valva aerea sunt aperta. . . . Christi autem Regnum ubique porrigitur, ubique creditur, et ab omnibus gentibus, supra enumeratis colitur. Et ex his aliisque, tum gentium, tum Christianorum ex

(a) Apologet. C. 37. (b) L. Adversus Judaeos C. 7. Gen-

Gentibus conuersorū, quæ in dubium & suspensionem cadere non possunt, testimoniis Prophetarum & Jesu Christi & oracula conspiciamus, adimpleta. Conspectum & ultra.

§. III.

In Vita & morum Sanctimonia.

I. **E**t in qualem mundum per prodigiosam Evangelii prædicationem mundus conuersus fuit? prius reflectere oportet; qualis fuerit ante; ut inde qualis factus fuerit, dignoscamus. Verum equidem est, contra serpentem mundi corruptionem sæpius gentiles Philosophos carpentes strinxisse calamos, & amaras extulisse voces. Resonabant Porticus & Academiæ de morum gravitate, & ipse Socrates Philosophiam traxisse de cælo, divulgabatur. Sed quæ inde Morum facies? Quotus enim quisque, ait Cicero; (a) Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui Disciplinam suam non ostentationi scientiæ, sed legem vitæ putet? Qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis parcat? Videre licet, alios tanti levitate et iactatione, ut his fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ non nullos, multos libidinum seruos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Si tales fuere Magistri & præceptores quales discipulos, qualem plebem nobis

(a) Tusculan. Disput. L. II. C. IV.

nobis fingere licebit? Quid multis? Jam jam dedimus mundi corrupti imaginem, eum Apostolos in mundum exeuntes, ut prædicent Evangelium, delineauimus. Igitur quæ morum prodigia Evangelica Jesu Christi doctrina in mundum adeo corruptum & deprauatum in brevissimo temporis spatio invexerit, admiremur. Non suspecta, sed ab omni aut adulationis aut fictionis nota libera proferemus testimonia.

II. Primum sit Plinii Junioris non amici, sed Christiani nominis Osoris testimonium, Christianam gentem, ejusque mores Trajano transcribentis: (a) *Hanc, inquit, fuisse summum vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque Sacramento usu in scelus aliquid obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidei fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursus coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Ecce hæc vitæ & morum innocentia erant primorum Christianorum crimina, quæ in tribunalibus Tyrannorum & Magistratum post rigorosa inimicorum examina revelabantur. Nos, aiebat Tertullianus Apologista: (b) *Nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto unquam deprehendistis, ne dum in sacrilegio; & rursus ait: (c) De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris*

(a) L. X. Epistol. 97. (b) Ad Scapulum C. II. (c) In Apolog. C. 44.

semper bestiae saginantur. . . . Nemo illic Christianus, nisi hoc tantum, aut si & aliud jam non Christianus. Nos ergo soli innocentes. Hæc morum & vitæ Christianorum sanctimonia. etiam Imperatoribus & Principibus Gentilibus erat adeo perspecta, ut ipsos ad munera & officia, publica in foro, & privata in Palatia evehere non dubitarent. Illustre veritatis hujus testimonium nobis refert Eusebius. (a) Aliquantum, ait, ex Principibus, jurisque dicendi nobis præbebant, & conjugibus (quales fuere Prisca uxor Diocletiani & Valeria ejus filia uxor Galerii) & ministris, atque universæ domui suæ, non solum credere in Dominum Jesum Christum, verum etiam cum omni fiducia ac libertate in fide agere sinebant, ita ut illos sibi fideles ac familiares ducerent, de quibus certi erant, quod pro fide Christi nihil perfidum saperent, sicut fuit opinatissimus ille Dorotheus in cubiculo Regum, qui propter fidem Domini fidelissimus in omnibus habebatur. Unde & cunctis præferri honore meruit & amari. Cum quo & Gorgonius, ceterique cum ipsis in Domino fideles, vel qui intra Palatium in summis honoribus erant, vel qui ad Provincias gubernandas, præferri ceteris fidei contemplatione merebantur. Perspecto taliter Christianorum morum candore & innocentia non dissidebant Apologistæ, coram mundo Idololatra vitæ suorum innocentiam & sanctitatem eximiiis efferre laudibus, & quasi metipsum Gentiles in veritatis hujus provocare testes. Nos, ait S. Cyprianus, (a) qui

Philo-

Philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum conscientiam magis, quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus, quasi servi & cultores Dei.

III. Ut autem clarius perspiciamus, qualem morum conversionem Christiana introduxerit doctrina, ad particulares quasdam descendamus virtutes, quas prædicatione Evangelii implantatas admiremur. Qualem morum stragem inflixerit lascivia, norunt omnes, sed qualem Victoriam de impudicitia reportarit Evangelium, videamus. Nec Perse, ait Eusebius, (a) qui semel ejus (Christianæ) Disciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt. Nec alia barbarorum genera in casto Filiarum & Sororum concubitu polluuntur, nec ad mares furiose libidinis aestu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quæ natura leges violant, corporis voluptates persequuntur. Adhuc illustrius Christianæ pudicitiae testimonium Tertullianus ipsis objicit Ethnicis: (b) Nam & proxime ad Leonem damnando Christianam potius, quam ad Leonem confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrocior, omni poena & omni morte reputari. Atque ut Apologistæ nostri verba Exemplo firmemus, audiamus, quid genuina sanctorum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis referant Acta: (c) S. Perpetua in Publico Amphitheatro a feracissima vacca prostrata concidit in lumbos, & ut conspexit, tunicam a latere demissam, ad velamentum femorum ad-

R

duxit,

(a) Euseb. L. VIII. (b) S. Cyprianus de Bono Patientiæ sub init.

(a) L. I. Præpar. Evang. C. 4. (b) Apolog. C. I. (c) Apud Ruinartum.

duxit, pudoris potius memor, quam doloris. Alio quoque possem adferre Exempla & sanctissimorum illorum temporum Scriptorum testimonia, sed cui non sufficiunt pauca, cum neque convincent plurima. Ad aliud igitur virtutum genus progrediamur. Ad mutuum scilicet christianorum amorem, qui Nobiles & plebejos, divites & pauperes tam arcto constringebat charitatis vinculo, ut sese non solum verbis sed & factis compellerent & commonstrarent fratres, ut non tantum propriis succurrerent indigentibus, sed & una, si necesse esset, vitam offerret & sanguinem. Hunc mutuum amorem vivissimis depingit coloribus impietissimus Lucianus Religionis & Deorum irrisor: (a) „ Cum igitur in vinculis esset (Peregrinus) communem eam calamitatem rati Christiani, nihil intentatum relinquunt, ut illum eripiant. Deinde ubi hoc fieri non poterat, ministerium omne reliquum non obiter sed summo studio peragebatur, & mane quidem statim videre, præsto esse ad carcerem vetulas, vi-
 „ duas quasdam & Orphanos, qui vero honoratiores illorum, ii etiam corruptis carceris custodibus intra apud istum pernoctabant. Deinde cœnæ inferebantur collatitiæ, & sacri eorum libri recitabantur. . . .
 „ Quin etiam ex Asiaticis quibusdam urbibus Christianorum missu publico venerunt quidam, adjuturi virum, & advocati ejus futuri, consolaturique. Incredibilem enim charitatem ostendunt, si quid tale fiat publice. Ut enim breviter dicam, nulli rei
 „ par-

(a) De morte Peregrini Tom. III.

„ parant. . . . Persuaserunt enim sibi miseri, in
 „ universum quidem se futuros esse immortales, &
 „ perpetuo tempore victuros, unde etiam contemnunt
 „ mortem vulgo, suaque se sponte occidendos præbent.
 „ Deinde vero primus illis Legislatores persuasit, omnes
 „ esse invicem fratres cet. Quod supinum Charitatis
 „ Fraternalis officium derisit Lucianus, illud alius Christiani
 „ Nominis juratus hostis Julianus Apostata non solum non
 „ derisit, sed Gentibus suis imitandum inculcavit, scribens
 „ ad Arsfacium Galatiæ Pontificem Idolorum: (a) *Cur non potius
 „ convertamus oculos, ait Julianus, ad ea, quibus Christianorum
 „ Religio crevit; id est ad benignitatem in peregrinos, ad curam
 „ ab illis in mortuis sepeliendis positam, & ad sanctimoniam, quam
 „ simulant. . . . Nam turpe profecto est, cum nemo ex Judeis
 „ mendicet, & impii Galilæi (quo nomine ex despectu
 „ Christianos compellat) non suos modo, sed nostros quoque
 „ alant, ut nostri auxilio, quod a nobis ferri ipsis debeat,
 „ destituti videntur.*

IV. Audivimus Ethnicos, audiamus & Christianos parem fraternum testantes affectum: *Quenam sunt illa placita, ait Athenagoras, (b) in quibus enutrimur? Dico vobis, diligite inimicos vestros; Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud Reges Philosophos causam dicens in sermone magno clamore exaudiendum liberius erumpere. Quinam enim vel ex his, qui syllogismos resolvunt, ambigue dicta*

R 2

dissol-

(a) Epist. XLIX. ad Arsfacium. (b) In Legat. pro Christ. NXII.

dissolvunt, & voces unde dictæ sint explanant . . . quoniam, inquam, ex his ita puri, insontesque vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant, ac iis, qui priores maledixerunt, non modo non male dicant, quod tamen moderatissimum videtur, sed etiam benedicant, ac pro iis precantur, qui ipsorum vitæ insidiantur. Adeo primorum Christianorum amorem Heroicum & perfectum fuisse, ut non solum suis inimicis Tyrannis, tortoribus; atque licitoribus ignoscerent, sed & pro eorum salute & Bono precarentur, quoque Tertullianus his adserit verbis: (a) Nunquam Albiniani, aut Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani, sed iidem ipsi, qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias & noverant & fecerant, qui Christianos sæpe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nec dum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & reveretur & honoret, & saluum velit cum toto Romano imperio. Non solum autem Tertullianus, sed & omnes antiqui Christianæ Religionis Apologistæ Justinus, Tatianus, Athenagoras, Theophylus Antiochenus, Quadratus, alique Scriptores veteres mirabilis hujus in Tyrannos, imo in Tortores & Lictores, ut diximus, amoris, fervorem, vitæ innocentiam & morum sanctimoniam laudant atque deprædicant; & cum Apologias suas Imperatoribus, Regibus, Principibus & Magistratibus obtulerint, eo majorem merentur fidem, quo

(a) Ad Scapul, C. II.

quo magis æmulos, invidos & aversos nanciscebantur Censores.

V. His igitur obiter memoratis primorum Christianorum virtutibus, iisque cum gentium perditis & corruptis moribus, qui prius mundum inundaverunt universum, æquiparatis, rogare nos liceat: Unde Metamorphosis tanta? Unde tanta conversio mundi? Unde hæc subitanea vitiorum extirpatio, & virtutum prodigiosa implantatio? Respondet, ni fallor ad literam eruditissimus & antiquissimus Eusebius: (a) Illius autem utilitatis, quæ palam doctrinæ hujus (Christianæ) prædicationem consecuta est, cuivis rem secum attente reputanti charum hoc imprimis & illustre specimen intueri licet; quod nec alias unquam ex hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam Nominis & existimatione floruerunt; sed tantum ex quo ipse doctrinæ per universum orbem diffuse verbis & concionibus hominum aures afflari capere, continuo factum sit, ut qui prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus & humanioribus institutis mansuescerent. Quod Eusebius dixit in Prosa, cecinit sanctus Prosper in suo de ingratis Carmine:

*Sic prius immites populos urbesque rebelles,
Viuente obstantes animos pietate, subegit
Non hoc consilio tantum, certatque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet.*

R 3

Gratia.

(a) L. I. Præpar. Evang. C. 4.

*Gratia, sed mutans intus, mentemque reformans
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.*

Sed quod plus est, hi Christiani novelli virtutum suarum odore & Exemplo mundum in admirationem rapiantes universum, hanc Evangelicam Doctrinam in moribus & vitæ sanctimonia expressam non modo confessi sunt verbo & opere, sed & miraculis sanguine & morte testati fuere.

§. IV.

In Propagatione Religionis Christianæ per Miracula ab Apostolis & Christianis patrata.

I. **A**postolos in mundum universum exiisse, ac Jesu Christi Resurrectionem ejusque Evangelium omni creaturæ, ut ipsis præceperat, prædicasse, & quidem eo cum fructu, ut mundum converterint universum, & Christi Ecclesiam ad ultimum usque mundi angulum disseminaverint & stabiliaverint, hucusque cum stupore audivimus, vidimusque. Qui autem possibile fuit, ut mundus Idololatriis & impietatibus penitus submersus crediderit Apostolis omni humano auxilio & medio destitutis, crediderit, inquam, doctrinam & Religionem carni & sanguini, omnique sapientiæ & prudentiæ humanæ repugnantem, nisi ea vidisset signa & prodigia, quæ lucidissimam & infragabilem Divinitatis notam characterem præ se ferebant.

Miracula

Miracula esse hominum a Deo missorum quasi apertas credenciales Epistolas, ipsumque verbi Dei securissimum & sincerissimum sigillum, alibi jam diximus. Hæc igitur erant, quæ illabente Divino Spiritu, & collustrante superno lumine, movebant corda hominum, ut crederent Apostolis, & crederent Evangelium Dei, quia illud Divinis videbant firmatum & munitum testimoniis. Prædixerat, ut audivimus, Jesus Christus Apostolis suis, prædicationem eorum signa esse subsequutura, vel potius comitatura. Quam prædicationem ad literam esse completam, ipsa testantur Apostolorum acta & facta in libro *Actus Apostolorum* compellato fuisse consignata.

II. Vix Spiritus sanctus descenderat super ipsos, repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis; ita ut stupeant omnes & mirarentur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui (omnes linguas) loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque, linguam nostram, in qua nati sumus? Ecce miraculorum initium! Quod enim isto prodigium majus audivimus ac dici potest? Petrus & Joannes ascendunt in templum, (b) & viro, qui erat claudus ex utero Matris suæ, ad portam templi speciosam eleemosynam petenti ait Petrus: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula. . . . Et exsiliens stetit (claudus ab utero)

R 4

(a) Act. Apostol. C. II. 4. & sequ. (b) Ibid. C. III. sequ.

utero) & ambulabat, & intravit cum illis in templum ambulans & exsiliens, & laudans Deum. Ecce prodigium alterum. Et sic iubeat, integrum percurrere librum, & in qualibet fere pagina Prodigiorum inveniet multitudinem: sic enim ait sacer textus: (a) *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe, ita: ut in plateas ejicerent infirmos in lectulis & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Non autem solus Petrus, sed Apostoli omnes, non solum Hierosolymis, sed ubique terrarum; quocumque venerant & prædicaverant, per manus suas faciebant signa & prodigia plurima, quibus conscribendis neque integra sufficerent volumina. Et quis eorum erat fructus? (b) *Magis, magisque augebatur credentium in Domino multitudo virorum atque mulierum.*

III. Non solum autem Apostoli & Discipuli Jesu Christi sed & successores ac eorum Discipuli, omnesque ut Christus prædixerat, credentes faciebant signa & Prodigia: (c) *Signa autem, dicebat Christus, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis cet.* imo ipsos majora, ac fecerat ipse, signa facturos esse credentes prædixit, ac adpromisit: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Hæc autem non solum Apostolos & Discipulos, ejus-

(a) Act. Apost. C. V. v. 15. (b) Ibid. v. 14. (c) Marcii XV. 17. (d) Joann. XI V. 12.

ejusque successores & viros Apostolicos, sed & omnis generis, ætatis & sexus fideles ubique terrarum fecisse, testati sunt, & in suis conservarunt libris, Viri pietate, sanctitate, sed & sapientia in orbe universo celebratissimi. Quales fuere illi, quos Ecclesiæ atque Doctores compellamus, & quorum ingenia ac profundas literarum scientias etiam Ethnici suspexerunt & coluerunt. Tales sunt Ammonius ex Platonica secta factus Christianus, Melito, Athenagoras, Apollonius, Cyprianus, Origenes, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Basilus, Gregorius, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, alique raræ pietatis & doctrinæ; Scriptores, qui in suis libris & scriptis ingentem Miraculorum numerum retulerunt, quæ aut visu proprio, aut ab Auctoribus contemporaneis pariter a visu testibus auditu perceperunt, quæ, si in syllabum redigere oporteret, numerosa & ingenia complerent volumina; si autem quis illa curioso vellet dispicere oculo, ea facile in eorum reperiet operibus in Bibliothecis ubique expositis. Quid dicam de Historicis tam sacris & profanis, qui de sæculo in sæculum innumera prodigia & miracula testimoniis & testibus fide dignissimis certificata consignant. Quid? quod etiam jurati Christiani nominis inimici, cum Hebræi tum Pagani, Talmudistæ & Theurgæ; demum & Porphyrii, Celsi, & Juliani Apostatæ, qui de miraculis Christianorum, quoque temporibus eorum celebratissimis, differentes, & ea recensentes, eorum veri-

tatem & facta minime impugnarunt aut everterunt, quod facere debuissent, si potuissent, sed solum ad Chymæras, imposturas, & magias quasi desperati rejicere & deridere præsumserunt.

IV. Tam alta non solum Christianis, sed & ipsi gentibus de miraculis Christianorum infedit opinio, ut Christiani Paganos per ea indubitati fidem & Religionem Christi Paganis comprobendam provocarent, & vitam & sanguinem de causa & potestate sua miracula patrandi sponderent. Dignum est, ut hæc excelsa Christianorum testimonia in lucem proferamus. Edatur hic aliquis, plena eum fiducia clamat Tertullianus, (a) *sub Tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constat. Fusus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Atque producat aliquis ex his, qui de Deo pati, (h. e. agi) existimantur, qui aris inbalantes numen de Nidore concipiunt . . . qui in balando profantur. Ista ipsa Virgo cælestis (Juno Carthaginensis) ista ipse Æsculapius medicinarum demonstrator . . . nisi se Dæmones confessi fuerint, Christiana mentiri non audent, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite.* Oh quanta de universali Miraculorum in Christianis & credentibus potentia certitudo & securitas, cum Christiani ad confundendos Paganos sub vita & sanguinis pœna sese offerrent, & Pagani de veritate convicti ad experientiam capiendam, ne confundantur, veri-

(a) Apologet. C. XXIII.

veritatem experiri detractarent. Ecce sic adimpleta sunt Prophetarum & Christi oracula dicentis: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Quodnam inde mirum, Religionem Christianam tot miraculis & Prodigis divinitate plenis tam mirifice fuisse propagatam, & mundum gentilem in Christianum fuisse conversum?

Fuit autem & adhuc aliud ingentis & mirabilis hujus Propaginis Christianæ semen, scilicet Sanctorum Martyrum sanguis gloriosissimus, a Christo pariter prædictus & adimpletus.

S. V.

In Prodigiosa SS. Martyrum sanguinis effusione & vitæ profusione.

I. **Q**uis non crederet, Tyrannorum crudelitate, & tormentorum & suppliciorum immanitate, & cruoris ac mortis ubique sparæ barbarie Religionem Christianam in immenso sanguinis effusi Oceano mox esse suffocandam & extinguendam? Minime, quo plures per crudelia Martyria denati, eo plures ad eam profitendam & amplectendam fuere prognati. Prædixerat Jesus, eos, qui ipsum secuturi essent, non nisi odia, tribulationem, carceres, vincula, flagella & mortem inanere. *Tradent enim vos, ait, . . . flagellabunt vos, . . . occident vos, . . . morte diversa afficient*

efficiunt vos . . . & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Hoc primum experti fuere Apostoli, non solum, cum Hierosolymis & in Judæa Judæis prædicarent Evangelium, ut Acta Apostolorum testantur, sed & cum ad jussa Domini in mundum universum dispersi prædicarent Jesum Christum crucifixum, ejus Resurrectionem & Regnum, h. e. dum in mundo prorsus universo ejus erigerent & stabilirent Ecclesiam. Exeuntes igitur ex Judæa in mundum universum quid aliud reperiebant in via nisi bellum universale hominum & Elementorum: famem, sitim, nuditatem, naufragia, carceres, flagella, infamias & mortes. Ipsi autem gaudentes homicidas deserunt terras, transfretant maria, montes percurrunt & valles, ad novos transeunt cælos, & nova pervadunt climata, prædicantes ubique ad Hebræos & Gentes, ad Reges & Philosophos, ad Principes & Plebes Jesum Christum in cruce mortuum, & resuscitatum a mortuis esse Deum, Redemptorem & Judicem humani generis venturum. Prædicant & testantur in cruce & vinculis, in tormentis & morte, & Evangelium Jesu Christi postrema sanguinis guttula firmant, roborantque. Quis non crederet, inquam, cum Apostolis crudelissime occisis Religionem & Evangelium Jesu Christi ab ipsis prædicatum eorum sanguine fuisse deletum, & eorum morte conscriptum?

II. Verum nequaquam; potius enim gloriosus hic sanguis fuit fecundissimum illud semen, ex quo non modo

modo per mundum universum Christi fideles copiosissime progerminarunt, sed &, sicut terra credentibus, ita cælum gloriosis Martyribus fuit repletum; quo plures enim, ut ait Tertullianus, demetebantur, eo plures multiplicabantur: & Exemplum unius S. Martyris convertebat ingentem numerum infidelium. Hæc est nova atque triumphans Christianæ Religionis & veræ Jesu Christi Ecclesiæ demonstratio.

Non fuit unus aut alter, aut exiguus gentis abjectæ numerus, non fuere homines superstitioni aut fanatici, qui præjudiciis aut erroribus ab infantia imbuti, aut cæca ambitione abrepti nominis famam & gloriam in tormentis & morte quæsierunt. Verum immensæ sunt Turmæ Personarum omnis ætatis, sexus, conditionis, nationis, terræ & Religionis, Hebræi & Gentiles, Barbari & Philosophi, qui proinde liberi ab omnibus, aut lacte aut educatione haustis præjudiciis, cum Religione pugnantibus, & principiis Christianæ prorsus adversantibus fuerint instructi. Homines, qui sponte se offerunt mori, & actu moriuntur, cum prius aut Religionis veritatem agnoverunt, aut ejus Divinitatem in signis & miraculis ac Magistrorum sanctitate & constantia deprehenderunt. Moriuntur non in uno mundi angulo, non in una die, Hebdomade & mense, sed in integris retro sæculis, & in cunctis mundi partibus. Romæ, & in amplissimo ipsius per Orbem universum imperio, sub Neronibus, Domitianis, Trajanis, Diocletianis, Maximianis & Maxentis,

xentiis, & sub eorum Præsidibus, Tribunis, & Præfectis, in Asia, Africa, Europa, in Oriente & Occidente.

III. Innocentes hæ victimæ sine numero & sine vincuntur Catenis, squalescunt & palefcunt in carceribus & custodiis, fame, siti & tenebris; flagellantur & cæduntur virgis & loris, lacerantur equuleis, dilavuntur ferro & unguis, franguntur crura, aduruntur vulnera salibus perfricata, frustratim discerpuntur & detruncantur membra, moriuntur in ligno, cæduntur ense, confodiuntur telis, rumpuntur rotis, cremantur in rogis, æstuantur carbonibus, suffocantur in mari & fluviis, objiciuntur feris, dilacerantur a bestiis, intruduntur faccis sulphureis, & Palubus transfixi accenduntur, ut in tenebris cunctis dent lucem. In medio crudelissimorum suppliciorum generosi Athletæ fronte generosa & triumphante rident & provocant tortores, jubitant & cantant Dei Jesu Christi laudes, & moriuntur constantia & confessione invincibili, quam admirantur tyranni, & prædicant persecutores atque lictores; etenim fortitudo tanta inspirat Religionem, suadet atque persuadet, dilatat & propagat, & ejus florem fomentat ubique, & quidem mediis iisdem, quibus eam suffocare & evellere malefani conantur, Christianorum scili. morte & sanguine. Hinc S. Justinus Martyr: *Non cessamus, inquit, confiteri Dominum Jesum Christum, licet abscissum sit caput, licet figamur in cruce, licet objiciamur bestiis. Sufferrimus ferrum, ignem &*

tormenta. Quo major in nos furit persecutio, eo major fit numerus credentium & fidelium propter nomen Jesu Christi. Permisit Deus ut sol adoraretur, sed mortuum nemo visus, qui pro solis cultu & Religione moreretur, sicuti omnium nationum homines conspiciuntur pro nomine Jesu sanguinem fundere & mori. Et sic invenimus Prophetarum & Jesu Christi Oracula in Evangelii prædicatione, in ejus mirabili propagatione, in Gentium & mundi universi conversione, in primorum Christianorum morum innocentia & vitæ sanctimonia, & eorum stupenda pro fide Jesu Christi sanguinis effusione & vita profusione mirabiliter adimpleta, quæ simul juncta novum & eluctabile veritatis Religionis Christianæ efficiunt argumentum, & admirandum Demonstrationis apodicticæ genus. Cui quid Libertini, veritate hac, eorum oculos feriente preffi & jugulati, obmoveant, videamus, ne quid dubii aut erroris indissolutum relinquamus.

SECTIO TERTIA.

INCREDULORUM CONTRA ADMIRABILEM EVANGELII PRÆDICATIONEM, ET MUNDI CONVERSIONEM DISSOLVUNTUR OBJECTA.

§. I.

Ea, quæ Libertini contra prædicationem Evangelii obijciunt, resolvuntur.

I. *Ad* agnoscendum Divinum Prædicationis Evangelicæ prodigium diximus, necesse esse, ut reflectamus, quinam prædicarint, quidnam prædicarint, & quibus prædicarint, ut inde discernere possimus, rem totam nonnisi supremæ Omnipotentæ & Sapientiæ esse miraculum, vaticiniis Prophetarum & Jesu Christi, ut ostendimus, prædictum, & in Præconibus Apostolis adimpletum. In rugas contrahunt increduli frontem, nil de Prophetiis, nil de miraculis audire volentes. Si autem instamus, quomodo igitur hæc stupenda Prædicatio mundum convertens universum accidere potuit? Gelido sanguine & ore inquit: *Modo prorsus humano.* Atque ut sententiæ suæ quandam verisimilitudinis speciem adfingant, inquit: (a) *Ecclēsia non nisi paulatim & successive est stabilita; Ecclesiæ igitur*

igitur progressus est mere humanus. Etenim si Deus revelasset hanc Doctrinam, non humanum observasset ordinem & modum. Alius enim est Dei, alius hominum operandi modus. Lubentes cedimus Examinis Authori, conversionem mundi instantaneam non fuisse, sed Idololatricam per tria sæcula Religioni Christianæ, ejusque prædicationi pertinaciter obstitisse. Quid inde sequitur? Ergo humano modo conversus est mundus, ergo humano modo prædicatum est Evangelium? Miror hominem Philosophum tot Sophismatibus ludere posse. Quid prædixerat Deus per Prophetas? Quid prædixerat Jesus Christus? Anne se instantaneæ mundum esse converturum; Aut per Prædicationem Evangelii? Postremum puto. Et hoc per Apostolos adimpletum fuisse monstravimus. Utique Apostoli erant homines, & humano prædicabant ore; sed anne humano modo mundum convertebant Idololatricum? Sic est, ait, incredulus, quia *successive, ut hominum est operari.* Et ego prorsus contrarium infero. Ad omnem passum Evangelii prædicatio reperiebat obstaculum, hoc vincere, hoc de triumphare oportebat; sed ad talem triumphum Divina & supernaturalis requirebatur potentia & virtus: Relegat, si velit, quæ supra, ad hoc probandum, attulimus argumenta, & si hos triumphos Prædicationis Evangelicæ adhuc humanos & naturales esse contendat, frustra Æthiopem lavabimus.

(a) Examen de la Religion Chap. V. n. 3.

II. Infitit incredulus Author: (a) *Progressus Ecclesie*, inquit, *est prorsus humanus*. Et unde hoc probat? *Cœperunt* (sine dubio Apostoli) *seducere populum in eo tempore, ubi nil impressionis habebatur* (quid velit his verbis, ignoro) *ubi sola regnabat imaginatio, ubi visiones extravaganantissimæ reperiebant Sectatores*. *Opiniorum diversitas erat Sæculi gustus*. Quis, fuerit illius Sæculi Character, supra retulimus, & nemo hucusque Philosophorum & Historicorum fuit, qui Sæculum Augusti non politissimum, non excultissimum, non illuminatissimum dixerit. Et hoc tempus *imaginationis solius* a Philosopho dici meretur? Bene, igitur *solius rationis* tempus *δύχου & μούδιου* Varronis merebitur dici. Sufficit, audiisse, insignes Philosophos, non imaginatione, sed ratione ductos prius Religionem oppugnasse, post ore, corde & sanguine propugnasse. Forsan & isti imaginarii fuere? Quoque ipsi, Visionum fuere Sectatores? Cedimus, populum visiones & opiniones sectari. Si blandiuntur sensibus, si cupiditates fovent & fatiant; Verum si sensus crucifigunt, si cupiditates reprimunt, si passiones & passionum gustus necant, si malorum, ut credunt, acerbam seriem post se trahunt, si sanguinem & vitam pro victoria repossunt, errat Author, si hunc illius Sæculi voluptuosi & libidinosi, qualem depinximus, gustum dicit. *Longe abest*, sermonem intercipit incredulus, *populum, non amplecti Religionem sensibus contrariam, hic ipse in hoc puncto est gustus*. Quæ Philosophia hoc dicat, scire averem.

(a) Cit. Chap. 5. n. 3.

averein. Quæso ostendat nobis Religionem aliam, ac Christianam, sensibus & passionibus contrariam, in qua hoc suum comprobet assertum, & si invenerit aliam, eandem super mundum univrsam egisse, & victoriosam in mundo subsistere commonstret: *Pro Populo*, inquit, *mirabilia poscuntur. . . . Amat id quod viribus suis superius videtur, & se credit elevari, si ipsi dicitur, quod non capit*. Si autem, prosequar ego, huic populo dicit, ad defendendum id, quod non capit, Patriam deserendam esse & substantiam omnem, sanguinem fundendum esse, & mortem subeundam? Ergone persistet? Cedo, unum alterumve fanaticum hominem eo delirii procedere posse; verum nobis est sermo de ingenti populo, de mundo universo ad Jesum Christum converso, de populo omnis conditionis, ætatis, sexus, climatis, & vitæ rationis. Sed de his infra.

III. Aliam feligit viam Libertinus Examini Author: (a) *Date*, inquit, *date mihi duodecim homines, quos persuadere possim, non esse solem, qui faceret diem, & non despero, Nationes integras hanc opinionem esse amplecturas*. Fors dicere, amat, unus facit centum. Sed abstineamus a Satyrâ (in quos enim, nisi in duodecim Apostolos, ludit Satyricus) linquamus Hypothesin ridiculam, & solum, quæ sit inter opinionem hanc paradoxam & inter Jesu Christi Evangelium comparatio, perpendamus. Quæ igitur similitudo & coherentia inter Chymæram speculativam nil discriminis

aut utilitatis habentem & inter Legis Systema, quod totum ordinet hominem, ejus restringat passiones & cupiditates, & aut vitam æternam promittit aut pœnas æternas comminatur. Ponamus igitur hos duodecim Apostolos non fuisse simplices & indoctos Piscatores, sed Socrates, Platonēs, Aristoteles, Demosthenes, Cicerones, creditæ, nisi vestiti fuerint virtute ex alto, nisi gratia & supernum lumen moveret corda & animos, nisi ipsa Doctrina Divinitatis præferret characteres, ipsum huic legi, repugnanti carni & sanguini, mundum potuisse subjungere universum? *Quid ergo, ait Lactantius, (a) nihilne illi (Evangelio) simile præcipiunt (dicti Philosophi)? Imo permulta, & ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & Auctoritate majora, id est Divina, illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit.* Aliam alibi incredulus iste inter Prædicationem Evangelii Jesu Christi & Alcorani Mahumedis comparationem instituere audet. Sed quisquis inter legem Evangelicam, & Alcoranam disquisitionem, & inter prædicationem utramque examen instituere velit, manibus differentiam palpabit. Novit mundus universus, legem Mahumedis fuisse sanguinariam atque carnalem, Sarcenorum Asiæ genio & brutali gustui prorsus conformem & ablandientem; quid miri, si ambabus amplectantur ulnis? Novit autem & mundus universus Christianam legem corrupti illius Sæculi moribus,

(a) Instit. L. III. C. 27.

genio, Philosophiæ, hoc est, & cogitandi & vivendi rationi prorsus fuisse oppositam, & humanis viribus, aut humana eloquentia eam mundo fuisse inculcandam, & inculcatam, quis credat aut adferat? Et quæ erat Mahumedanæ prædicationis norma? Erat latronum turma, quæ invitabat ad strages & neces, ad spolia & divitias, ad libidines & voluptates carnales & in hoc & in altero Sæculo futuras. Anne mirandum, si gens spoliatorum avida, carnis inescata deliciis, igne & ense propulsa, sequitur Impostorem & fanaticum amplectitur Alcoranum? Verum qualis Apostolorum prædicandi modus? Veniunt inerme sine sacculo & pera, sine tunica & baculo; jubent conterere pedibus divitias, crucifigere sensus & carnem; & hi piscatores inerme, cum solo in manibus crucifixo, & cum solo in ore Dei verbo, castitatem, pœnitentiam, morum & vitæ sanctimoniam præcipientes, naturæ & eloquentiæ humanæ viribus in Sæculo dominante & luxuriante, in urbem dominatricem & superbam, in homines cupiditatibus immerfos Religionem Christianam invexerint, orbem persuaserint, atque converterint universum? Si quid similitudinis inter Evangelium & Alcoranum adhuc superfit, edisserat incredulus, rogo.

IV. *Verum est, replicat igitur Examini Auctor (a) Apostolos (suis in manibus) representasse crucifixum; verum prædicabant quoque, hunc crucifixum patrasse miracula, resuscitatum esse a mortuis, ascendisse ad cælos, esse*

verum Deum & pro nobis ipsis ad hunc deplorandum fuisse statum reductum. Hoc erat, concludit, quod populum reflexionis & examinis incapax movebat ad compassionem & credulitatem. Bene, sed respondeat mihi Philosophus iste; Dotes, quas Apostoli de suo prædicabant crucifixo, puta, resurrectionem, miracula, Divinitatem, cetera erantne comprobata testimoniis ineluctabilibus, aut non? Si erant, ergo vicit Religio, & ejus testimonia omnem destruunt incredulitatem, omne dubium, & omne sophisma.

Si comprobata non erant, aut tamen mundus fuit persuasus, aut non? Si non: ergo portentum maximum, credere & adorare crucifixum, qui nec Deus est, nec resurrexit. Si autem persuasus fuit, alterum Prodigium majus, credere res adeo difficiles, adeo carni & sanguini repugnantes, & credere ad sanguinis & vitæ profusionem usque, quin veritas sufficienter probata fuerit. Sed *populus est*, ait Libertinus, qui fuit persuasus. Ergo Ecclesiam Christianam ab oriente ad occidentem diffusam solus constituit populus? Ergo Justinus, Origenes, Tatiani, Quadrati, Athenagoræ, Tertulliani, Clementes, Theophyli, Cypriani, Minucii Felices, Lactantii, Eusebii, Cyrilli, Ambrosii, Augustini sunt pecora, boves & oves voce populi ducta? Et hi quoque sunt populus reflexionis & Examinis incapax? Legat solius Origenis contra Celsum Libros, & quidquid Libertinismus & incredulitas a principio in hunc usque diem effutiit, inveniet examinatum, refutatam-

tatumque. Sed *populus?* Bene: Ergo liceat inferre mihi, Doctrinam populo prædicatam ad supremum certitudinis & evidentiae gradum ascendere debuisse, ut populus reflexionis & examinis incapax, & quidem populus immensus, adhibuerit fidem, & equidem talem, ut Religionem lacte haustam deserere, ei contrariam amplecti, & pro illa bonis, sanguine & vita spoliari non reformidarit. Non est, ut nobis Author fucum facere amat, populus immensus in bonis, vita, & sanguine adeo prodigus. Verum, quid immoror rebus millies explosis, & infra explodendis?

§. II.

Incredulorum contra Gentium Conversionem objecta diluuntur.

I. *A*deo celebris & nota est mundi universi post prædicationem Evangelii Jesu Christi conversio, ut increduli, quod ei objiciant, vix reperientes, ad sola Ethnicorum odio & invidia Christianorum, & Zelothypia Deorum suorum cadentium ductorum testimonia confugiant. Quinam fuere, inquit cum Tacito, illi ad Religionem Christianam conversi? *Humana*, respondent, *natura monstra, & scelestia perfidarum capita*. Audiamus: (a) Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & questissimis poenis affecit, quas per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. . . Repressaque

S. 4

in

(a) Annal. L. XV. C. 44.

in præfens exitiabilis superstitio rursus erumpebat . . . per urbem etiam, quo cuncta undique atrocias, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens, aut perinde in crimine incendi, quam odio humani generis sunt. . . Quamquam adversus fontes & novissima exempla meritis miseratio oriebatur. Miror, incredulos tam præclara innocentie Christiane testimonia in apicum profere velle, ut inde non conversum, sed perversum doceant mundum. Legant attente, quid Ethnicus, Christianorum Encomiastes, non Masttyges, dicat: Quis Christianos arguebat flagitii reos? *Rumor*. En! tota probatio. Quid autem veritati orbi universo patienti Libertinorum gratia hic moror? Nero impius accendit urbem, atque ut suam tegeret barbariem, Christianos iussit esse reos, & facularum instar accendi. Legat incredulus, quæ supra retulimus, quo odio & invidia Scriptores Ethnici, ad suos vindicandos Deos, in Christianos exarserint, & quas injurias atque calumnias vindictæ causa, in eos conjecerint, & ad suam ridiculam objectionem solidum & serium habebant responsum.

II. Sed, inquit, quos calumniarum Gentilium Vindices adducitis, non Ethnici, non impartiales, sed Christiani fuere. Quid autem, si & isti candide fateantur, non omnes Christi fidem conversos a flagitiis fuisse immunes? Hoc ipsi non diffitentur Religionis Christianæ a vobis celebratissimi Apologistæ. Fabula est igitur
vestra

vestra decantata mundi per Evangelium conversio. Sane oculos soli meridiano claudere necesse est, qui diem dicere tenebras audet. Diximus mundum universum ad Christi fidem fuisse conversum, hoc adeo expertum & consummatum credimus, ut ille, qui negare præsumit, vel nec prima Historiæ Ecclesiasticæ & profanæ folia inspexisse necesse sit. Quodsi tamen conversionem mundi ad solam morum conversionem inflectere velint; Sit igitur; ex Ethnicorum Scriptorum testimoniis nos satis superque satis confecisse confidimus, Christianos, vel potius Ethnicos in Christianos conversos non alio flagitii genere post prædicatum Evangelium fuisse conspersos, nisi Deorum contemptu & vanitatum derisu & innocentie ac pietatis in Deum cultu. Legat, quæ ex Ethnicis attulimus testimonia, & docebitur veritatem. Sed ad ipsos, increduli, provocant Christianos Scriptores, de Christianorum flagitiis testantes; audiamus igitur. Tertullianus est, quem loqui faciunt: (a) *Non negabimus, inquit, quosdam (esse malos) sufficit & hoc ad testimonium nominis Christiani, si non omnes, si non plures. Necesse est in corpore, & quantum velis integro aut puro, ut Nervus aliquis effruticet. . . . Major boni portio modico malo ad testimonium suo utitur; cum tamen aliquos de nostris malos probatis, jam hoc ipso Christianos non probatis.* Mirabitur Auditor & Lector incredulum hoc se ipsam jugulans adferre testimonium; Sed hæc est incredulorum methodus, captant umbram, ut comminuant

Colossium. Adferunt verba truncata, & reticent corpus; studio igitur integrum adfero Tertulliani textum, quia incredulus in Epistola sua XII. fallaci calamo hunc locum recenset, in quo & ipsi antiqui Patres faterentur, per Evangelium Jesu Christi mundum meliorem non esse factum; fors & ipse a Sycophanta deceptus, Tertulliani, quin legerit, testimonium adducit; Legat igitur, & discat cautius citare. Sed hoc est, quod ultra mirari oportet, suum secutus Apostolum adferere non timet. Ipsos neoconvertos Christianos rigidus ille Africanus Cenfor vocat fraudatores, immites, immisericordes cet. Ecce quos Evangelicæ prædicationis fructus. Ubi hæc dicit Africanus? Legite verba, & miremini fraudem: atque responsum: *Ipsi in colloquio, si quando adversus nos, cur ille, inquit, fraudator, si abstinentes Christiani! Cur immitis si misericordes? adeo testimonium redditis, non esse tales Christianos, dum, cur tales sint, qui dicuntur Christiani, retorquetis.* Quid ultra huic addam responso, ignoro.

III. Verum, inquit increduli, quid Evangelio tribuitis virtutem, quæ prius Ethnicorum fuit cantantibus Poetis gloria? Adducitis Perpetuam discissa tunica femora tegentem, eo quod *pudoris potius, quam doloris esset memor & conscia.* Quid autem, si in Euripidis Hecuba illud de Polixena moriente legitis: (a)

..... Illa

(a) Vers. 566. ita Author Epist. XII.

..... Illa vero etiam moriens
Multam curam habuit, caste cadendi,
Et tegendi ea, quæ tegi oculis virorum decet.

Hoc & de Lucretia canit Ovidius: (a)

Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste
Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Testatur & Plinius (b) de Cornelia Maximilla Vestali incesti damnata: *Cum in subterraneum cubiculum dimitteretur, hæssissetque descendenti stola, vertit se ac recollectit. Cumque ei Carnifex manum daret, aversata est, & resiliit sædumque contagium quasi plane a casto puroque corpore, novissima sanctitate rejecit.* Provocati ad Responsum, quod Spiritus elegantes & fortes, in his scenis versatiores, a Christianis reposcere videntur, dare nequaquam ambigimus. Atque novimus ac ipsi, Euripidem in Arte tragica Magistrum Aristotelis & aliorum secutum esse præcepta, ut ad Historici differentiam ea repræsentet in scena, quæ conveniunt, non autem quæ plane acciderunt. Novimus, inquam, quid apud Poetas magnum illud velit dicere Poetarum Παιδος. Quid autem si ipse Euripides nobis aliam describat Polixenam? describit autem ipsam in facie Agamemnonis, totiusque exercitus Græci ante fatalem ictum his versibus: (c)

Appre-

(a) Factor. II. v. 833. (b) Libr. IV. Epist. XI.
(c) 558.

*Apprehendens peplos ex summo humero
Rupit ille ad medium juxta umbilicum
Manillasque ostendit, pectorumque quasi statua pul-
cherrima.*

Hæccine Heros, quam Spiritus Elegans nostræ sanctæ Perpetuæ opponere audet? Liceat hic saltem in transitu, incautam docere juventutem, quam subdole & suaviter increduli in sacræ Religionis aut interitum, aut derisum, solèant similes sensuales obvertere imagines. Respondeamus autem ad id, quod de Ovidii Lucretia recenset Author. Hoc est, quod Dionysius Halicarnassæus refert: *In Patris expiravit ulnis; & Livius ait: post ictum moriens concidit.* Ubi Ovidii Tragici flores? hi Poetis proprii sunt. Quid autem illud Plinii Vestalis pudicæ encomium? Elegantissima Satyra; quæ non timuit incestu maculari, formidavit ad mortem descendens licitoris manu miseratione tacta conspurcari. Liceat hic mihi de Vestalium pudore, quem nostra incredulorum turba tot invidis contra sacras vestales Virgines nostras omni, qua potest occasione, extollit sarcasimis & satyris, illud Minutii Felicis & Eusebii reponere: (a) *Impunitatem (in his impudicis feminis) non fecit castitas tutior, sed impudicitia felicior.*

IV. Provocavimus ad probandam primorum Christianorum sanctimoniam vitæ & morum probitatem ad Libros Apologeticos, quos antiquissimi Christianæ

(a) In Octavio C. XXV. Euseb. in Chronico.

stianæ innocentiae defensores obtulerunt Imperatoribus, Principibus & Magistratibus, ut eorum ab innocuo sanguine fundendo crudeles retraherent manus. Verum, inquit increduli, quid roboris aut argumenti ferunt ejusmodi libelli? cum equidem Imperatorum nomini fuerint inscripti, sed nunquam eorum manibus consignati, & licet fors sperarint, Scriptores quoddam Libellorum suorum Exemplar in manus eorum pervasurum fore, in eorum tamen manus cecidisse ullum, nemo est, qui ostendat. Eum scilicet in modum, ait Bayle famosus incredulorum Magister, (a) quo Calvinus Basileæ in angusto clausus cubiculo suas Institutiones Christianas Francisco I. dedicavit, quin aut ipse aut alter eas unquam huic Principi offerret. Hoc novum Baylii Paradoxon ipso eorum, quæ citat, monumentorum responso refutatur. Legant igitur Eusebium, (b) legant S. Hieronymum ita scribentem: (c) *Quadratus Apostolorum Discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Hadriano Principi Eleusina sacra invisenti librum pro nostra Religione tradidit, & tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium?* Id & testatur de Aristide in Libro de Scripturis Ecclesiasticis, (d) & de S. Justino Martyre in eodem Libro (e) ita habet: *Fulfinus Philosophus pro Christi Religione plurimum laboravit, in tantum, ut Antonino Pio & Filiis ejus & Senatui librum contra Gentes scriptum daret, ignominiamque crucis*

11016

(a) Bayle Diction. Hist. Crit. Art. Athenagoras, Rem. B.
(b) H. E. L. IV. C. 3. (c) Epistola LXXIV. ad Magn. Orat.
(d) C. XX. (e) C. XXIII.

non erubesceret. Hoc & ipse S. Justinus in suo cum Tryphone Dialogo adserit, inquiens: *appellasse ad Caesarem Eggrapho, h. e. Libello ad acta publica reposito.* Idem contra Baylinum ornato argumentorum genere ostendit Editor Operum S. Justini: (a) de Athenagora *legationem suam non modo scriptam, sed & praesentatam fuisse.* De Calvino quod addit, ad rem minime facit, magna enim inter primos Christianae Religionis Athletas & inter sequiores fidei desertores differentia, gestiebant primi pro veritate mori, posteriores vero delitescere in angulis, & scripto non facie coram suis comparare Principibus & Judicibus. Et quodsi laudatae Apologiae praesentatae non essent, non tamen minoris pro morum Innocentia & vitae sanctimonia mundi recens ex gentili in Christianum conversi roboris essent & argumenti; etenim qui pientissimi & sapientissimi Scriptores fuissent, falsa in publicam spargere lucem, cum Imperatorum, Principum & Magistratum manus potius ad Tyrannidem armassent, & furore accendissent, quam eas a fundendo sanguine, quot per Libellos intentabant, retraxissent.

Præterimus ea, quæ Libertini & increduli contra Apostolorum & fidelium miracula oggerere solent, cum ea satis in iis, quæ de miraculis in prioribus libris scripsimus, discussimus & refutavimus.

§. III.

(a) In Præfat. P. III. C. XIII. n. 4.

§. III.

Ea, quæ Libertini ex Dodwello contra gloriosos sanctorum Martyrum triumphos adducunt, refelluntur.

- I. **P**ostquam celebris Criticus Dodwellus in sua Dissertatione *de paucitate Martyrum*, quæ est XI. inter eas, quas *Cyprianicas* compellat, immensum gloriosorum Heroum numerum imminuere conatus fuerit, in Dissertatione XII., quam *de primorum Martyrum insigni fortitudine ejusque causis*, inscripsit, ea conquirat humana motiva, quæ hos sacros pugiles accendere potuerint, ut in gladios & rotas, in sanguinem & mortem tam fortes & intrepidi prorrerent. Et hæc sunt, quæ increduli ad obscurandam sanctorum Martyrum gloriam, & ad enervandam, quam inde pro Religionis Christianae Divinitate deducimus, veritatem mutantur. Nolumus hic *Dissertationi Dodwellianæ de Martyrum paucitate* immorari, quia viri clarissimi miseras ipsius conjecturas, & mera negativa ejus argumenta pridem confutarunt, quos inter præcunctis legi meretur doctissimus Ruinartus in *sua Præfatione ad Acta select. Martyrum*, ubi Dodwelliana somnia ad ultimam prosequitur umbram, & peritissimo calamo ex Actis & Documentis Authenticis, Ecclesiarum Dyptichis, Martyrologiis, & Menologiis, & ex Patrum Tertulliani, Eusebii, Lactantii aliorumque fide dignissimis Testimoniis immensum sanctorum Martyr.

Martyrum numerum demonstrat; Nos unicum Prudentii referimus carmen: (a)

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe

Vidimus o Christo Valeriane Sacer.

Incisos tumulis titulos, & singula queris

Nomina? Difficile est ut replicare queam.

Tantos justorum populos furor impius hausit,

Cum coleret patrios Troia Roma Deos.

Plurima literulis signata sepulchra loquuntur

Martyris aut nomen aut Epigramma aliquod.

Sunt & multa tamen tacitas claudencia turbas

Marmora, quæ solum significant numerum.

Quanta autem jaceant congestis corpora acervis

Nosse licet, quorum nomina nulla lego.

Sexaginta illic defossas mole sub una

Reliquias memini me didicisse hominum,

Quorum solus habet comperta vocabula Christus,

Utpote quos proprie junxit amicitie.

Prudentio jungimus Romam subterraneam Arringii, qui unam solam SS. Martyrum tumbam urbi in vastitate æqualem describit; nolentes in testimonium adferre, quæ propriis oculis in Catacumbis & Cryptis subterraneis Romæ & extra altera Vice vidimus & reveriti sumus. Ad quid enim longo testimoniorum ordine opus, cum Ecclesia tot sæculorum traditione innumera-
bilem SS. Martyrum turmam censuit & venerata fuit;

si enim

(a) ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ ΗΥΜΝ. XI.

si enim sola Roma suos nequit numerare Athletas, quis poterit in toto Romano Imperio, ubi per tria sæcula Imperatores Ethnici in Christianam gentem ubique terrarum tyrannidem exercuerunt, omnium, qui sub ipsis eorumque Præfectis passi sunt, texere catalogum? Gentiles erant, ait S. Chrysofostomus, (a) Imperatores Augustus, Tiberius, Cajus, Nero, Vespasianus, Titus, & post illum, omnes usque ad tempus Beati Constantini Imperatoris, omnes illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant; oppugnabant tamen omnes. Quodsi qui eorum visi sunt mitius agere, hoc ipsum tamen, quod Imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis adulabantur, gratiam illorum captantes Ecclesie bellum inferrent. In truculentis hæc per tot sæcula bellis, quis est, qui sanctos pugiles numerare posset, quorum Nomina sunt scripta in cælo?

II. Prætermisso igitur Dodwelli de Martyrum paucitate somniò, videamus, quid ex altera ipsius, de Martyrum fortitudine, ex motivis naturalibus & humanis incensa, Dissertatione nobis objiciant increduli & Libertini. Fateor, si humana sunt motiva & causæ, quæ ad subeunda martyria & mortes Christianorum mirabiles turbas in omni Romani Imperii Ditione incendebant, Christianæ Religioni ejusque Divinitati nihil inde veritatis accedit, sed hoc est quod falsum dicimus, & demonstrabimus.

T

III.

(a) S. Chrysof. quod Christus sit Deus T. I. N. 15.

III. Primam igitur fortitudinis Martyrum causam arguit Dodwellus *Obstinatam Galilæorum indolem*, qui intrepido & obstinato animo tormentis & morti obviant. Sed unde novit Dodwellus, Galilæam Gentem hac obstinata indole dotatam esse? Cum nonnisi post sacram admissam Christianam fidem tale quid de Galilæis Historiæ narrent? Sed sint Galilæi tales, erantne, & alii, qui Romæ, qui in Hispania, in Gallia, in Græcia, in Africa intrepidi mortem subierunt Christiani, pariter Galilæi? Julianus Apostata & impius Celsus fuere primi, qui Christianis hoc nomen indederunt, ergone solum hoc nomen aliarum Nationum Martyribus hanc obstinatam patiendi & moriendi inspiravit indolem? Somnium est.

Alteram fortitudinis Martyrum causam fugit Dodwellus *primum Disciplinæ rigorem, & vitæ austeritatem, quam exercebant Christiani, ita ut ad tormenta ferenda redderentur robusti*. Verum quidem est, tales, hominibus molliter enutritis, & voluptatibus ac deliciis saginatis audentius & fortius pati; sed quis ignorat, Ethnicos recens conversos, licet molliter enutritos, atque tenellas puellas, & delicatos puerulos pari virili constantia tormenta & mortem subiisse? Deinde qualis proportio ad animum roborandum inter jejunia, vigilias & abstinentias & inter equuleos & rotas, ferventes bitumine & oleo ollas, rogos, & carbones, sanguinem & mortem?

Tertiam

Tertiam fortitudinis causam æstumat *ambitionem & gloriæ desiderium*. Sed qualis tunc gloria, infami patibulo suffigi, in Amphitheatro malefactorum instar cum bestiis configere, domo & patria pelli, & abominationem Principum & populi audiri & contemni? Sed *cultus*, ait Libertinus quidam, (a) *qui exhibebatur Martyribus, eorum blandiebatur vanitati*. Sed qualis tunc erat cultus, cum & Martyres & cultores pari vilipendebantur opprobrio, & paribus necabantur tormentis. Fors Ecclesiæ sperabant honores? Ast vel credebant hanc Ecclesiam veram vel falsam? Si falsam, quomodo ab Ecclesia in fumos abitura & fraude sua interitura poterant sperare veros honores? Si falsos, quinam tales incendiant animos, ignominiosam, ut habebatur, subire mortem & tormenta? Si veram credebant, ergo & noverant, in altero mundo ad supplicia æterna detrudendos esse, qui vanam gloriam captare, & morte vitam perpetua notatam infamia commutare delirent. Cedimus ambitionem, generosam accendere pectora, dura & fortia pati, sed nonne numerantur imbecilles feminae & teneri adolescentes, gens pauper & obscura in SS. Martyrum corona? Et qui gloriam sperare poterant, qui in secreto & tenebris, in crudelissima Diocletiani persecutione, sunt mari & fluviis immersi, catervatim in carceribus occisi, igne consumpti, & ad bestias & deserta transportati & trucidati? Quorum Nomina nequidem sunt propalata aut conservata?

T 2

Quartum

(a) Examen de la Religion Chap. V. n. 3.

Quartum Martyris incitamentum credit intimam vite innocentis conscientiam; & quintum addit spem, desiderium & promissionem vite future immortalis, æternam beatam. Sinamus utrumque talia incitamenta mortis mitigare terrorem, sed tollere? Multi, ut diximus, recens conversi rapiebantur ad tormenta & mortem, ubi igitur illud vite innocentis antea actæ intimum testimonium? Confitemur igitur, hæc intima testimonia & desideria alleviare animum patientem, sed illa se solis adeo accendere animos, ut tormenta crudelissima, mortemque crudelissimam desiderant, cum gaudio sufferant, se sponte ad cruces & rotas offerant, hoc sane nec ullus dicet, aut qui dicit, certe incredulus non est, quia vite innocentiam & præmia immortalia æterna necessario admittere cogitur.

Sextum fortitudinis robur credit fuisse illud Martyribus promissum regnum, & illa ipsis in eo preparata bona plurima. Authoris volo adducere verba, ut quæ sit mens ipsius clarius inspiciamus: Jam in Milleni regno primam fore resurrectionem corporum propriam eam crediderunt resurrectionem, ita Martyrum in eo portionem esse præcipuam. . . . Jam ut minus veræ fuissent hæc Christianorum opiniones, erant certe illæ animis ad Martyria incitandis longe tamen utilissimæ. Id genus enim argumenta suppeditabat, quæ pro captu vulgi essent accommodatissima. In primo non spiritualia duntaxat præmia castum illum superantia, sed etiam sensibilia pro Milleni saltim illo Christi

(a) In cit. Dissert. XII, §. 20. & 27.

in terris regno proponebant. Tum nec ipsa illa præmia sensibilia admodum cet. Ex his colligimus Dodwellum credere, regnum Millenarium Christi cum Sanctis in prima resurrectione resurgentis, & in re-fabricata Hierosolyma Regnum mille annorum non solum bonis spiritualibus sed & temporalibus & sensibilibus abundantissimum, & brevi venturum possessuri, fuisse opinionem vulgarem omnium primorum Christianorum; Verum errare Dodwellum, S. Justinus Martyr, qui fuit alter post Papiam hujus systematis defensor, his verbis demonstrat, in suo cum Tryphone Dialogo: (a) Tibi igitur & antea confessus sum, me & multos alios hoc sentire . . . & multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam & puram sequitur sententiam, id non agnoscere, Tibi significavi. Non igitur fuit de Millenario Christi cum Sanctis in terris Regno communis primorum Christianorum opinio, ut Illustrissimus Episcopus Bossuet in Explicatione Capituli XX. Apocalypseos clare demonstrat, inquiens: Hujus opinionis nec fuisse Clementem Alexandrinum, nec S. Cyprianum, nec Origenem aliosve Patres, imo eam refutasse Cajum & Dionysum Alexandrinum. Qui ergo potuit hæc falsa opinio commune SS. Martyrum esse incitamentum; Et quodsi etiam hæc fuisset opinio, jam jam diximus, hæc & similia desideria, spem & expectationem posse equidem animos movere & spiritum, verum animos mortalium, ad crudelissima perferenda supplicia & tormenta, & ad millenas, ut ita

(a) N. 30.

dicam, mortes subeundas decernere nequaquam possunt; sed, ut recte in fine Dissertationis suæ Dodwellus ait, longe superiora requiruntur motiva, causæ & incitamenta, scilicet virtus ex alto, auxilia superna, gratiæ Divinæ, & robur cœleste, quæ declarant, perditam credulorum esse causam, nostramque triumphantem, scil. Sanctorum Martyrum gloriosam a Christo prædictam passionem & mortem esse evidentissimam Christianæ Religionis veritatis & Divinitatis Demonstrationem.

IV. Quid autem increduli? Longe aliud ipsi norunt incitamentum, quam gratiam & virtutem Altissimi, quam fabulis accensent. *Imaginatio sive Phantasia accensa est Martyrii causa*, sæpefatus ait Examinis Auctor: (a) *Ut nobis subscribas, reflectere te decet, non ullam fuisse Religionem, quæ non suos habuerit Martyres.* Hæc, inquit increduli, hæc fascinatio animorum, hic Fanatismus, qui Maniæ & ebrietatis speciem habet, hujus Martyrum Phænomeni genuina est causa. In suum, ut solent, provocant Advocatum celeberrimum Baylium, qui, in vices omnium Religionum Martyrum, gloriosam, ut credunt, *Vanini Martyris Atheismi* Martyrologium confecit, & passionem hæc describit verbis: (b) *Factus est Caput Sectæ, predicavit impietatem, ut liberet similes a timore inferni, quo sese credebant absque ratione afflictos.* *Capitur, sistitur tribunali fatetur intrepide Principia*

(a) Exam. de la Relig. Chap. 6. n. 3. (b) Pensées

cipia sua, etiam in conspectu crudelium tormentorum, & ne quidem Retractationem fingere volens, qua mortem effugere posset, eam amplectitur, & in defensionem doctrinæ suæ inclutus Atheismi Martyr suffert. Ecce Menologion Baylianum. Dolendum, quod hic Actuarius & Notarius Martyrum Baylius in suo Maximum inter & Themistium Discursu Jaquelotio fateri cogatur: *Acta*, quæ scripserit de Vanino, non esse secuta, ac pictam Vanini passionis scenam fuisse talem. Sic est, testis oculatus Bartholomæus Gramond prætensum Martyrium fidei refert calamo: (a) *Homo incredulus scelestæ fuit vitæ & morum, & impius juventutis corruptor; captus, & carceri inclusus, & ibi & in tribunali se fecit & simulavit catholicum; Sed videns, Hypocrisi & Retractatione a supplicio se subtrahere non posse, & condemnatum se audiens, in blasphemias & insanias prorupit, & aspectu truci atque feroci, & animo agitato & prostrato accessit patibulum & mortuus est ut brutum.* Ecce Acta genuina. Veriora si adduxerint, respondebimus. Unum alterumve fanatismo vel potius insania abreptum errorem suum defendere ad mortem usque, transeat; Verum numerum calculo majorem hominum, omnis generis & characteris sub sole, viros, fœminas, senes & juvenes, virgines & puellas, conjuges & viduas, nobiles & Plebejos, doctos & idiotas, Laicos & Clericos, Philosophos & milites, ab oriente in occasum, ab Aquilone ad meridiem per decursum quatuor sæculorum in omni quasi angulo mundi universali Fanatismo fuisse fascinatos,

atos, & inebriatos, ut suppliciis & morti se sistant, non quidem, ut simpliciter suspendantur laqueo, aut truncentur capite, sed ut mille experiantur tormenta, quæ barbaries & Tyrannis truculentissima aut invenire aut excogitare potuit; Quis mente sano capiet, credetve? Novi, hic locum esse, ut contra Dodwellum, & qui ex suo biberunt fonte, incredulos tot gemina, cœlestia & superna motiva & causas, quot ipse falsa adduxit, & humana, enumerem; Verum, ultra ac constitui, excurrit jam pagina. Obtestor igitur eruditum Auditorem atque Lectorem, ut laudata pervolvat *Ruinarti sincera & selecta Martyrum Acta*, quæ me satis recommendare non posse, lubentissime fateor; adeat, inquam, hæc Acta ceu lectionum dignissimam, & id, quod scribere vellem, calamo longe doctiori & unctio-
ne pleno comperiet consummatum. Inveniet ibi numerum stupendum; personas ex omni conditione, ætate & climate; Acerbitatem suppliciorum, quæ cogitari nec potest; Animum Martyrum naturæ viribus superiorum, & sapientiam coram iudicibus eorum conditionem transcendentem; Fortitudinem non solum constantem, sed & in suppliciorum medio lætam, tranquillam & jocantem; Ac denique quandoque insensibilitatem miraculosam, aliisque miraculorum generibus mortem illustrem. Et tunc cum increduli hæc sedulo legerint, hæc animo præiudiciis libero considerant, & tunc inquam, videant, an ultra dicere audeant, Fœnatissimum Martyrii fuisse, aut potuisse esse causam.

V, His

V. His nihilo motus incredulus noster ultra insistit: (a) *Patres Ecclesie, inquit, dicunt, causam esse non vero supplicium, quod faceret Martyres; & Religionis esse Axioma: causa Martyrem facit, non pœna. Quodsi igitur quispiam concludere vellet, Religionem Christianam esse veram, quia Martyres habet, supponit id, quod in questione est. Attendat Sophista, quid dicant Patres, & quid dicat, vel potius inferat ipse. Pœna non facit Martyrem, alias & impius latro impœnitens patibulo affixus esset Martyr. Causa facit Martyrem; innocuum pro Christi Nomine cruci affigi, sicut causa est causa Dei, ita Martyrium sanctum, gloriosum & gloria dignum.*

Intelligit Sophista Patres & Axioma? Quæ autem ejus conclusio: *Qui concludit, Religionem Christianam esse veram, quia Martyres habet, supponit id, quod in questione est. Ergone hæc cohærent cum antecedenti? Separet igitur positionem postremam a priori, & respondemus, Quid ergo est in questione? Esse Martyres? Religionem Christianam esse veram? aut eam habere Martyres? Quid putat? Novitne Philosophus & Dialecticus noster, dari causas reciprocas? Sol lucet, ergo dies est. Dies est, ergo sol lucet. Non est in questione, veritatem Religionis Christianæ pendere a testimonio Martyrum, quia erat vera, antequam darentur Martyres, imo, quia vera erat, Martyres eam amplexi, confessi & pro ea mortui sunt. Ex ipso*
T 5
autem,

(a) Examen de la Relig. Chap. 6. n. 4.

autem, ecce reciprocam causam & sequelam, quia pro ea tot sancti Martyres virtute vestiti ab alto (humana etenim motiva & causas Martyres generare non posse, modo audivimus) sanguinem pro eo dedere & vitam, veritatis ipsius irrefragabile sunt testimonium. Religio igitur, hoc est fides in Deum, facit Martyres, & Martyres pro Deo & ejus Religione faciunt & dant testimonium; sicut sol est presentissimus diei testis & causa; & dies est presentissimus solis testis & effectus; sic Deus est causa Religionis & Martyris, & Martyres sunt testes veritatis & effectus. Dicat Philosophus, ubi sit in questione, quod supponitur, aut ubi supponatur id, quod est in questione? ubi est causa, ibi est effectus, & ubi effectus, ibi & causa. Tædet cum Pseudophilosophis in viam pridem spinis confitam revertisse. Verum necdum acquiescit incredulus noster. *Longe abest, ait, (a) Martyres vera Religionis esse probam; Ex adverso tot sunt, quot sunt, falsitatis, testes. Injuriosum enim Deo est, dicere, Deum eos tradere supplicio, qui credunt id, quod revelavit.* Qui nimium probat, nihil probat; & simile argumentum dicitur paradoxum, quod Philosophum dedecet, si Logices regulas callet. Nonne & dicere liceret: Injuriosum est Deo, quod mala patiantur illi, qui divina adimplent præcepta, & tamen Naturalistæ omnes sincero confitentur animo: *Prosperatur impius, affligitur bonus.* Prosperatur impius, affligitur bonus, ut Divina eluceat providentia. Patiuntur Martyres, ut Divina

(a) Ibid. n. 5.

vina eluceat veritas; tripudiant increduli, ut ferventur coronata victima rogo. Latet anguis in herba; vellet, si possent, Deum malorum facere Auctorem. Sed suo respondimus loco.

Moriuntur igitur Martyres pro revelato Dei verbo, sed moriuntur ut triumphet Divina Veritas, & ipsi in vita æterna triumphent æternum beati. Si increduli hæc caperent, non ita differrent. Audiant igitur Philosophum, si nolunt audire Theologum; audiant Politicum, si nolint audire Religiosum, quem sicut infantes, sibi fingunt spectrum: „Fortitudo enim
 „in infirmitatibus roboratur, & calamitas sæpius Disciplina virtutis est, „ait Minutius Felix: „Viresque denique & corporis & mentis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, „quos in Exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt. Itaque & nobis Deus nec non potest „subvenire, nec despicit, cum sit & omnium Rector „& amator suorum; sed in adversis unumquemque „explorat & examinat, ingenium singulorum periculis pensat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse „perire securus; Itaque sicut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quam „pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum „dolore congregiatur, cum adversum minas & supplicia „& tormenta componitur? Cum strepitum & carnifices irridet & insultat? Cum libertatem suam ad-

„versus

„ versus Reges & Principes erigit? At enim Dei miles
 „ nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic Chri-
 „ stianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos
 „ ipsi calamitosos viros fertis ad cœlum; Mutium Scæ-
 „ volam, qui cum errasset in Regem, periisset in ho-
 „ stibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris
 „ non tam dexteram solum, sed totum corpus uri,
 „ cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum di-
 „ mitti præsertim haberent in sua potestate? Viros
 „ cum Mutio, vel cum Aquilio aut cum Regulo com-
 „ paro? Pneri & Mulierculæ nostræ carceres & tor-
 „ menta, feras & omnes suppliciorum terriculas in-
 „ spirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis o
 „ Miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit
 „ pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit susti-
 „ nere, „ Hucusque Philosophus. Auditò Philoso-
 „ pho pro coronide videant increduli Exemplum. (a)
 Felicitas uterum octo mensium gestans instante specta-
 culi die lugebat, ne ob uterum ipsius certamen differ-
 retur. *Conjuncto uniti gemitu Commartyres ad Domi-
 num orationem fuderunt ante tertium diem muneris; statim
 post orationem dolores eam invaserunt; & cum pro natu-
 rali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret,
 ait illi quidam ex ministris Cataractariorum, quæ si modo
 doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti, cum
 sacrificare noluisti? Et illa respondit: modo ego paror,
 illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia &
 ego pro illo passura sum. Ita cuius est puella. n: Inluxit
 dies*


(a) Passio: SS. Perpet. & Felicit.

*dies victoriæ illorum, & processerunt Martyres de Carcere
 in Amphitheatrum quasi in cœlum h lares, vultu decori,
 si forte, gaudio paventes non timore. Sequebatur Perpetua
 placido vultu & pedum incessu quasi Matrona Christi Dei
 dilecta vigorem oculorum suorum dejiciens ab omni con-
 spectu. Item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad
 bestias pugnaret cet. Horruit populus alteram respiciens
 puellam delicatam, alteram a partu recenti stillantibus
 mammis cet. Audivimus jam jam morientem potius pu-
 doris, quam doloris fuisse memorem.*

Unde fortitudo ista? Latrones, ait Lactantius.
 (a) & robusti corporis viri ejusmodi lacerationes per-
 ferre nequeunt, exclamant & gemitus edunt, vincun-
 tur enim dolore, quia deest illis inspirata Patientia.
 Nostri autem, ut de viris taceam, pueri & mulierculæ
 tortores suos taciti vincunt, & exprimere illis gemitus
 nec ignis potest, inspirata defursum patientia, atque
 virtute ex alto.

CAPUT

(a) Infit. L. V. C. 13.



CAPUT SEXTUM

DEMONSTRATUR, PROPHETARUM ET JESU CHRISTI ORACULA

DE REPROBATIONE JUDAICÆ GENTIS
ESSE ADIMPLETA.

*A*deo intimus est inter Reprobationem Judaicæ Nationis & Gentium Conversionem nexus, ut monstrato uno, alterum quoque monstratum compareat. Utrumque enim uno eodemque oraculo prædixit Dominus per Prophetas, & unum quasi alterius Divinæ veritatis indicium & Demonstratio est. Prædixerat Dominus, se gentem suam olim dilectam. tot gratis & beneficiis cumulata projicere, gentiles vero in gentem novam & electam recipere velle. Et eo quidem tempore, cum ipse veniens pactum cum filiis hominum novum erigeret, vetus vero abnegaret. Vidimus venientem Dominum, vidimus Testamentum novum in cruce conditum, & per Apostolos prædicatum & annuntiatum orbi universo; Vidimus diversas gentes, videamus ergo quoque Reprobata Judaicam Gentem, videamus urbem & templum destructum, Sacrificium & Altare submotum, & totum Hebraicæ nationis cultum sublatum, ipsamque gentem per orbem disper-

sam.

sam. Hanc flebilem Hebræorum sortem ipsis pridem prædixerat Dominus per Gentis ejusdem Prophetas, prædixerat & ipse Jesus Christus, ipsorum, qui in mundum venit, promissus & expectatus Messias, quem prius reprobaverant & occiderant ipsi; Audiamus Oracula, inde literaliter ea fuisse adimpleta conspiciamus.

SECTIO PRIMA.

ADFERUNTUR DE JUDAICÆ GENTIS REPROBATIONE ORACULA.

§. I.

Oracula Moysis, Jeremiæ & Baruch.

I. *A*ntiquius Oraculum esse non potest, quam illud Moysis Legislatoris atque Prophetæ, qui populo Hebræo, antequam promissam intraret terram, ejus ex ipsa terra excisionem terribilibus præfagiit vaticiniis. Audiamus: Postquam populo ingrato & rebeli ante fores terræ promissæ hærenti plurimas iis, qui inobedientes manerent, maledictiones enarrasset; Prophetico quasi abreptus Oestro ait: (a) *Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas; quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus, & ceremonias,*

quas

(a) Deuteron, XXVIII, 45. & sequ.

quas præcipit tibi. . . Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria & ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem Aquilæ volantis (Ecce Aquilas Romanas) tum impetu, cujus linguam intelligere non possis. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli. . . Et conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus. Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. . . Comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam & obsidione & vastitate, qua opprimat te inimicus tuus intra portas tuas. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates & passiones perpetuas. . . Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui (Messiæ venientis). Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos a summitate usque ad terminos ejus, & servies ibi. . . In Gentibus illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos,

& animam consumptam inærore; Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Reducet te Dominus Classibus in Ægyptum, per viam de qua dixi tibi, ut eam amplius non videres; ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit, qui emat.

II. Hæc terribilia Moysis vaticinia non fuisse mæras Prophetæ comminationes, sed determinantum malorum præfagia ex aliis colligimus Prophetis, qui ob oculos Hierosolymorum angustias in Spiritu Prophetico habentes ad hæc ipsa Moysis Vaticinia respicientes inquirunt; Propter quod statuit Dominus Deus noster, ait Baruch (a) de hoc verbo Moysis loquens, verbum suum, quod locutus est ad nos, & ad iudices nostros, qui judicaverunt Israel (Ecce Moysis tempus) . . . ut adducere Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Jerusalem (ecce quo Propheta & Moyses suos propheticos habuerint intentos oculos) secundum quæ sunt scripta in lege Moysi; ut manducaret homo carnes filii sui, & carnes filie suæ. Atque ut magis persuasi & omnino convicti simus; ubinam hæc unquam contigisse legimus, nisi in illo flebili Hierosolymorum excidio, ubi Judæi in Deicidii vindictas a Deo puniti & reprobati fuerunt? Audiamus, quid ultra Propheta dicat: „ Et dedit eos sub manu „ regnum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in „ impropetium, & in desolationem in omnibus populis „

(a) Baruch II. I. & seq.

„ pulis, in quibus nos disperfit Dominus. „ Quis hic non conspicit populum a Deo rejectum, & in omnes populos dispersum? Easdem Populi Hebræi sub manu Dei Vindicis Hierosolymis agonizantis a Moysæ prædictas angustias quoque ipsum Jeremiam in visione habuisse, ex-ipsius colligimus verbis: „ Quomodo ob-
 „ scuratum est, ait in Threnis suis, (a) aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii
 „ in capite omnium platearum? Filii Sion inclyti &
 „ amicti auro primo (Sacerdotes) quomodo reputati sunt
 „ in vasa testea, opus manuum figuli? Sed & laminae
 „ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos,
 „ filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto
 „ (qui non fovet ova & pullos). Adhæsit lingua lactentis
 „ ad palatum ejus in siti, parvuli petierunt panem,
 „ & non erat qui frangeret eis. Qui vescabantur voraciter
 „ in viis, qui nutriebantur in lupis, interierunt in viis,
 „ qui nutriebantur in viis, qui nutriebantur in
 „ croceis amplexati sunt stercora. . . . Manus Mulierum
 „ misericordiam coxerunt filios suos, facti sunt
 „ cibus earum in contritione filii populi mei; Complevit
 „ Dominus furorem suum, effudit iram indignationis
 „ suæ, & succendit ignem in Sion, & devoravit
 „ fundamenta ejus. . . . Appropinquavit
 „ finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit
 „ finis noster. Velociores fuerunt persecutores nostri
 „ aquilis cæli, super montes persecuti nos, in deserto
 „ insidiati sunt nobis. „ Quis non hic conspicit Hierosolymorum
 „ interitum, & destructionem a Propheta descriptam,
 „ & populi Israelitici finem? Sed unde calamitas

mitas tanta? Spiritus Oris nostri Christus captus est in peccatis nostris, cui diximus (rejecti) in umbra tua vivemus in gentibus.

S. II.

Jeremiæ, Malachiæ, Danielis & Osee Oracula.

I. **P**ost destructionem urbis & templi inevitabilem, vel potius consummatam esse Judaicæ gentis reprobationem in Sectione sequenti monstrabimus. Verum quando hæc erunt, fors quæret Hebræus & incredulus? Quoque hanc temporis fatalis Epocham per Prophetas esse prædictam paucis evincemus. Non est mihi voluntas in vobis, sunt verba Malachiæ, (a) dicit Dominus Exercituum, & munus non suspiciam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in Gentibus dicit Dominus Exercituum. Tunc igitur recedet ab Israele Dominus, tunc de manu eorum non suspiciet munus, cum magnum erit Nomen ipsius in Gentibus, & cum ab ortu solis ad occasum ipsius Nomini sacrificabitur & offeretur oblatio munda; hoc autem post Evangelii prædicationem & Gentium conversionem factum fuisse, retulimus supra. Atque ne dubitemus, tunc reprobata fuisse Judaicam Gentem,

U 2

tem,

(a) Malach. I. 11. 12.

tem, ex ipsius per Jeremiam ore audiamus: (a) „Ecce
 „ dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel
 „ & domui Jacob fœdus novum non secundum pa-
 „ ctum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua
 „ apprehendit manum eorum, ut ducerem eos de
 „ terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, &
 „ ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed
 „ hoc erit pactum, quod faciam cum domo Israel post
 „ dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in
 „ visceribus eorum, & in corde eorum, scribam eam,
 „ & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum,
 „ & non docebit ultra vir proximum suum, & vir
 „ fratrem suum, dicens, cognosce Dominum. Omnes
 „ enim cognoscent me a minimo eorum usque ad
 „ maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquita-
 „ tibus eorum, & peccati eorum non memorabor
 „ amplius. „ Quoque hanc Prophetiam de abolendo
 veteri Moyfis pacto, & feriendo novo ad tempus con-
 versionis Gentium præcise respicere ipsa Prophetiæ verba
 declarant.

II. Sed quodnam præcise est hoc Judæis triste &
 gentibus jucundum tempus? Quoque hoc per Prophe-
 tam Danielelem revelavit Deus? „ Post hebdomadas sexa-
 „ ginta duas, ait per Prophetam Danielelem, (b) oc-
 „ cidetur Christus, & non erit populus, qui eum ne-
 „ gaturus est; Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit
 „ populus

(a) Jerem. C. XXXI. 31. & sequ. (b) Daniel. C. IX.
 26. 27.

„ populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas,
 „ & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit
 „ autem pactum multis hebdomada una (Ecce pactum
 „ a Jeremia novum descriptum) & in dimidio Hebdo-
 „ madis deficiet hostia & sacrificium, & erit in tem-
 „ plo abominatio desolationis, & usque ad consum-
 „ mationem & finem perseverabit desolatio. „ In
 Christo Jesu priorem de Christo occidendo Danielis
 Prophetiam fuisse adimpletam, ineluctabiliter demon-
 stravimus, brevi & alteram de Hebraicæ Gentis reproba-
 tione Prophetiam adimpletam esse, ostendemus.

III. Et tunc, ait Osee Propheta, (a) dies multos
 sedebunt Filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine
 Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod & sine Theraphim
 (ut eos octodecim nunc sæculis conspiciamus) Mife-
 rebitur tamen Dominus eorum in fine temporum: b)
 Et post hæc revertentur filii Israel & quærent Dominum
 Deum suum, & David Regem suum (h. e. Jesum Chri-
 stum Messiam, Dominum ac Deum suum, filium Da-
 vid, quem reprobaverunt & occiderunt) & pavebunt
 ad Dominum & bonum ejus in novissimo dierum. Et hoc
 quoque tempus Israeli in fine temporum ad Deum suum
 convertendo prædefinit Deus per Prophetam Ezechielem
 dicentem: (c) Salvabo gregem meum, & non erit ultra
 in rapinam. . . Et suscitabo super eas PASTOREM UNUM,
 qui pascat eas. . . Et faciam cum eis pactum pacis cet.

U 3

§. III.

(a) Osee. III. 4. (b) Ibid. 5. (c) Ezech. XXXIV.
 22. 23. 24.

§ III.

Oracula Jesu Christi.

I. **Q**uod olim Deus per Prophetas, ut modo audivimus, Hebraico populo prædixerat, post per proprium filium suum, multo clarius & expressius locutus fuit. Prius quidem in Parabolis, post expressissimis verbis: (a) *Homo erat, dicit Jesus in Parabolis, Pater familias, qui plantavit vineam, & sepe circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificavit turrim, & locavit eum agricolis. . . . Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos, ut accipiant fructus ejus, & agricolæ apprehensis servis ejus, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter; Novissime autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filium meum. Agricola autem videntes filium . . . apprehensum eum ejecerunt extra vineam & occiderunt.* Nunc quaerit Jesus ex Judæis, cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Audiamus Judæos: Ajunt illi: „Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. „ Quid adhæc Jesus? dicit illis: „Nunquam legistis in Scripturis (*Psalm. CXVII 22.*) Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. . . . Ideo dico vobis: quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.

„ Et

(a) Matth. XXI. 33. sequ.

„ Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, „ supra quem vero ceciderit, conteret eum. „ Quid clarius dicere posset Jesus? Sic est: cum audissent Principes Sacerdotum & Pharisei parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere . . . tenuerunt, sed lapis contrivit eos.

II. Prædicaverat autem Jesus jam pridem ipsis, quod a regno Dei, ad quod vocati erant, rejiciendi forent. (a) *Dico autem vobis, ait, quod multi ab oriente & occidente (conversæ gentes) venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno celorum; filii autem regni (qui erant filii Abraham sive Judæi) ejicientur.* Idem dicit Jesus, cum eis exprobraret, quod occiderint Prophetas (h. e. servos ad vineam missos) *Amen dico vobis, (b) venient hæc omnia super generationem istam. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt. . . . Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quod dixit de urbe, quoque de templo dixit: *Et egressus Jesus de templo ibat, & accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ædificationes templi; Ipse autem respondens dixit illis: videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hoc & lachrymis postea dixit: (d) *Videns civitatem flevit super illam dicens: . . . Circumdabunt te inimici tui valle, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosterment te,*

U 4

(a) Matth. VIII. 11. 12. (b) Matth. XXIII. 37. 38. (c) Matth. XIV. 1. 2. (d) Luc. IX. 41. sequ.

& filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem. Rursus ait Jesus: (a) „ Cum „ autem videritis circumdari ab exercitu (Romanorum „ scil.) Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit „ desolatio ejus. . . . Væ autem perægnantibus & „ nutrientibus in illis diebus, erit enim pressura magna „ super terram (hanc) & ira populo huic; & cadent „ in Ore Gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, „ & Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur „ tempora Nationum. „ H. e. ut supra audivimus usque ad novissimos dies, ubi Deus miserebitur Israelis & Jerusalem.

III. Idem triste vaticinium locutus est Jesus, dum egrederetur ex urbe ad montem Golgatha bajulans crucem, & obvians flentibus & comitantibus eum Hierosolymorum filiabus: (b) „ Conversus ad illas dixit: „ Filix Jerusalem, nolite flere super me, sed super „ vos ipsas flete & super filios vestros; Quoniam ecce „ venient dies, in quibus dicent. Beatæ steriles & „ ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non „ lactaverunt. . . . Sed quando hæc omnia erunt, liceat quoque mihi Incredulorum scientiam rogare? Et Misericordissimus Redemptor præcisus respondet verbis: (c) *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc* (h. e. illa, quæ tunc vivebat) *donec omnia fiant.*

Audi-

(a) Luc. XXI. 20. 23. 34. (b) Luc. XXIII. 28. sequ.
 c) Luc. XXI. 32.

Audivimus Oracula, repeto verba mea, nunc & illa ad literam adimpleta commonstremus.

SECTIO SECUNDA, PROPHETARUM ET JESU CHRISTI CRACULA DEMONSTRANTUR ADIM- PLETA.

No sunt proprie, quæ hisce Oraculis prædicta fuere, scil. Reprobatio Judaicæ Gentis, & perpetua urbis & Templi destructio, & Judæorum in omnem terram dispersio. Utrumque metipso perfidi Judæi vaticinante sibi prælagierunt oraculo: Venient Romani & tollent gentem nostram & locum; Et sanguis ejus, clamabant, veniat super nos & super filios nostros. Utrumque experti sunt miseri, & usque modo exules experiuntur. Videamus autem Prophetarum & Jesu Christi Oracula ad literam adimpleta.

S. I.

Reprobatur Gens Judæorum.

I. **I**elut signum Characteristicum Electionis populi Hebraici erat primarius & essentialis Religionis Judaicæ a Deo præscriptus & adprobatus cultus & Actio, scil. Oblatio Holocaustorum, Victimarum,

marum, Decimarum, Primitiarum, Votorum, Donorum, & Primogenituræ hominum & pecorum, quæ sub mortis pœna non in alio loco ac in templo & Altari a Sacerdotibus ex stemmate Aaron & Levi nec alteri, nisi soli Deo offerri poterant, & quidem sub innumeris illis ritibus & ceremoniis in lege præscriptis, ut legimus in Levitico expressis verbis mandatum a Domino; (a) ita & signum characteristicum Reprobationis hujus populi erit destructio templi & Altaris perpetua, & perennis cessatio oblationum, Holocaustorum, Victimarum, Primitiarum, Decimarum, Votorum, Donorum & Primogenituræ in domo Domini, nec non sublatio Sacerdotum, rituum & Ceremoniarum. Hoc enim erat pactum, quod pepigerat Dominus cum Pastoribus eorum, ut testatur Pentateuchus Moysis, & ipse supra relatus Jeremias Propheta, cum apprehensum eum deduceret ex Ægypto. Diximus, prædictas oblationes juxta mandatum Domini non in alio loco offerri potuisse, nisi Hierosolymis in monte Sion & in illo ibi exstructo Templo & Altari, quæ ædificaverat Salomon in Area Ornam Jebusæi a Davide præparata: *Elegit Dominus Sion*, ait Rex David, (b) *elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et cepit Salomon, legimus alibi, (c) ædificare Domum Domini in Jerusalem in Monte Moria, qui demonstratus fuerat David Patri ejus, in loco, quem paraverat David

(a) Levitic. C. XVII. (b) Psalm. CXXXI. (c) II. Paralip. II. I.

David in area Ornam Jebusæi. Quodsi igitur Hierosolyma, Templum & Altare hoc fuerunt penitus destructa, & Sacerdotes sublata, certe Hebraicus populus in illa Fatali impossibilitate Religionis suæ secundum legem Mosaicam exercendæ constitutus fuit, & adimpletum est illud Malachiæ Vaticinium: *Non est voluntas mihi in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra;* & adimpletum est quoque Vaticinium Jeremiæ, quod venerint dies, ubi abolitum sit pactum, quod pepigit cum Patribus eorum in exitu de Ægypto secundum legem Moyfi datam. Verum hæc omnia facta & adimpleta fuisse, Propriis conspicimus oculis, & infra monstrabimus; ubi enim est Hierosolyma, ad quam ex mundo universo peregrinabatur populus Hebræorum, ut adoraret Dominum & offerret Sacrificia? Ubi Templum? Ubi Altare? Ubi Sacerdotes? Ubi Sacrificia? Octodecim sunt sæcula, ubi interiit Urbs, Templum & Altare nunquam reædificanda; licet enim altera ædificata sit Hierosolyma, non est Hierosolyma sed Ælia, in alio prorsus loco, ab Hadriano ædificata; non Templum, non Altare, non Sacerdotes, non Sacrificia habens. Reprobatus igitur Hebraicus Populus cum suo templo, Sacrificio & Altari; & cum omnibus Religionis suæ legibus, ritibus & Ceremoniis, ut prædixerant Prophetarum Oracula.

II. Alterum terribilis hujus pro Gente Judaica veritatis signum dederat Dominus per Prophetas suos. Tunc enim adimpletum est, Non amplius esse voluntatem

tatem Domini in Judæis, & ipsum de Manu eorum nullum amplius fuscipere munus, cum ab Ortu Solis usque ad occasum Nomini suo in Gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur oblatio munda; Et tunc cessaret pactum antiquum, & conditum esset novum, quando dabit legem in visceribus eorum, & in corde eorum scribet, ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; Sed pariter post prædicatum Evangelium hæc Vaticinia ad literam esse adimpleta, pariter non nisi oculis eorum testibus. Vidimus, & videmus magnum ubique inter Gentes factum esse Nomen ipsius; vidimus, & videmus non solum Hierosolymis & ubique gentium ab ortu usque ad occasum offerri oblationem mundam, non Hircos & vitulos sanguine conserpos, sed sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi Domini; Vidimus & videmus per legem Evangelicam cordibus & visceribus hominum legem amoris & gratiæ esse inscriptam, & a minimo usque ad maximum Christianos cognoscere & adorare Deum, ut supra, cum de conversione Gentium & mundo ad Jesum Christum converso, & Sanctorum Martyrum sanguine fecundato verba fecimus. Cum igitur pars altera Oraculorum conspicitur ad literam adimpleta, etiam pars prima de Reprobatione Gentis Judaicæ evidenter probatur adimpleta; & probabitur ultra.

§. II.

§. II.

*Assignatur Reprobationis Judaicæ Gentis
tempus.*

I. **D**aniel prophético Oraculo prædefinierat Re-
probationis tempus hisce verbis: Et post
hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit
ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem &
sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo. . . . In
dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit
in templo abominatio desolationis, & usque ad confirma-
tionem & finem perseverabit desolatio. A quo tempore
& Anno debeant hæc sexaginta duæ Hebdomades usque
ad Christi occisionem computari, postquam populus
Hebraicus, qui Christum negaturus est, non amplius
erit populus ejus; & in cuius dimidio Hebdomadis de-
ficiet Hostia & Sacrificium Judæorum, equidem jam
supra irrefragabili calculo ostendimus, sicut & non
alium fuisse hunc Christum occidendum, quam Jesum
Christum Messiam & Redemptorem Hierosolymis cruci-
fixum, invictis commonstravimus argumentis. Ve-
rum nunc & profanis quibusdam Judæorum & Ethni-
corum monumentis confirmabimus, de Christo & Duce
tunc temporis, cum Judæorum ingrueret bellum, in
quo vaticinata contigit urbis, templi & populi deso-
latio, sacrificiorum cessatio, proinde & populi He-
braici Reprobatio, universalem viguisse opinionem.
Primum est illud ipsius Josephi, qui hoc bellum Judai-
cum

cum

cum exitiale descripsit, hæc adserentis: (a) „Id autem
 „ quod vel summopere Judæos ad bellum incitaverat,
 „ erat ambiguum, similiter in sacris codicibus reper-
 „ tum oraculum; in hoc tempore (ubi Christus erat
 „ crucifixus) quempiam ex terris eorum (h. e. Judæo-
 „ rum) Imperium totius mundi esse obtenturum. Qui-
 „ dam actu rei ita accipiebant, quasi *de ipsis* Judæis,
 „ proprie intelligi deberet; & multi sapientes in hac
 „ parte decepti fuere. Oraculum enim significabat
 „ Imperium Vespasiani, qui Judææ Imperator (post
 „ destructas Hierosolymas) creatus fuit. „ Quis hoc
 „ Josephi testimonium legit, & non advertit adulatoris
 „ astutiam, nec Nationem Judaicam, nec Romanos of-
 „ fendere volentis, sed illam & ipsam veritatem, quam
 „ alibi fatetur, vel maxime lædentis, cum hunc Judææ
 „ Gentis Duce[m] & Principem Vespasianum dicat, quem
 „ sibi Jesum Christum confessus fuit? Antequam hanc
 „ Confessionem suam audiamus; prius, de quo loqua-
 „ tur, sacri codicis Oraculo, videamus. Ni fallor, hoc,
 „ de quo loquitur Oraculo, est ipsissimum Danielis Vati-
 „ cinium, sic enim de illo differit. (b) „ Similiter etiam
 „ Daniel, ait, de Romanorum Imperio scripsit, illos
 „ que magnam vastitatem genti nostræ illaturos esse.
 „ Ista omnia a Deo sibi monstrata scriptis consignata
 „ reliquit, ut qui ea legerint, & eventus perspexerint,
 „ Daniele[m] mirentur . . . & Epicureos, magno in
 „ errore versari deprehendant, qui providentiam e
 „ „ vita

(a) De Bello Judaic. Q. VI, C. V. n. 4. (b) Antiquit. Jud. L. X. C. XI.

„ vita ejiciunt, & a Deo res humanas non curari exi-
 „ stimant. „ Duo sunt, quæ hic Auditor & Lector
 „ sibi notet. Ubinam scribit Daniel Romanos magnam
 „ vastitatem Genti Judaicæ illaturos, quam in eo ipso,
 „ de quo modo loquimur, vaticinio: *Et civitatem et*
 „ *Sanctuarium dissipabit populus* (Romanus) *cum Duce ven-*
 „ *turo*, qui est ipse Titus, Vespasianus, quem hunc
 „ Principem Judææ adulando extollit. Alterum est quod
 „ ex ipso hoc Vaticinio (utique completo) incredulos
 „ arguat, Providentiam ex vaticiniis & Prophetiis adim-
 „ pletis agnoscere nolle. Quam falso autem primum,
 „ scilicet Vaticinium de Judaicæ Gentis Imperio, de quo
 „ Daniel, Vespasiano tribuat, Eusebius paucis his pro-
 „ nuntiat verbis: (a) „ Quod Oraculum *ille quidem Scri-*
 „ *ptor* Josephus in Vespasiano expletum esse existimavit.
 „ Verum Vespasianus non totius orbis terrarum, sed
 „ Romanorum duntaxat Imperium obtinuit. Rectius
 „ ergo id referatur ad Christum, cui dictum est a Pa-
 „ tre: Postula a me & dabo tibi gentes hæreditatem
 „ tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

II. Sed audiamus ipsius Josephi, in ipso Jesu
 „ seu Christo hoc Danielis Oraculum completam testantis
 „ adsertum: (b) *Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens,*
 „ *si tamen virum illum oportet dicere, erat enim mirabilium*
 „ *operum effector, Magister bonorum, qui vera libenter am-*
 „ *plectuntur, et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam*
 „ „ ex

(a) L. III. Histor. C. VIII. (b) Antiquit. Judaic. L. XVIII. C. IV.

ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque a primoribus Gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum ceperant; nam post tertium diem, redivivus ipse apparuit, cum Divini Vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit cognominatum ab eo Genus Christianorum. Ecce quæ hic Judæus edidit scripto. Dicit Jesum tunc temporis mortuum esse Christum: Hic erat Christus; & quinam alias, quam ille Christus, quem Daniel dixit occidendum. A sua Gente enim tunc temporis fuisse sub Pilato occisum, fatetur & ipse. Et hæc aliaque Divinos Vates, quos inter & Daniel, prædixisse adfirmat. A testimonio Judaico ad Gentilium procedamus testimonia: „ Per-
 „ crebuerat Oriente toto, ait Suetonius, (a) „ vetus
 „ & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Ju-
 „ dæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore
 „ Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum
 „ Judæi ad se trahentes rebellarunt. „ Idem fert Ta-
 „ citus: (b) „ Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacer-
 „ dotum literis contineri, & ipso tempore fore, ut
 „ valesceret Oriens, profectique Judæa rerum poti-
 „ rentur, quæ ambages Vespasianum ac Titum præ-
 „ dixerant, sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi
 „ tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne ad-
 „ versis quidem ad vera mutabantur. „ Liceat nunc
 nobis ex Judaicis & Ethnicis testimoniis ipsam vaticinii
 Danielis

(a) In Vespas. C. IV. (b) Tacitus L. V. Histor.
 C. XIII.

Danielis veritatem eruere atque concludere. Expectabant prædefinito a Daniele tempore, hoc est eodem, quo Jesus Christus in cruce mortuus fuit, venturum esse Christum & Ducem, qui imperaret Orbi universo; & quidem ex Sacrorum Vatum sive Prophetarum Oraculis, quorum clarissimus & in vaticinio suo expressissimus erat Daniel. Hæc Judæorum Expectatio ad Paganorum pervenerat aures, expectabant igitur & ipsi, & de Ducis hujus adventu in suis diserebant libris; Verum sicut carnales erant Judæi; magis autem pagani, verum & genuinum Oraculi Prophetici sensum nec capere volebant, nec poterant, igitur non spirituales sed temporalem expectabant Ducem & mundi Imperatorem, cum interea Daniel de hoc Duce diceret: *Consummabitur prævaricatio, finem accipiet peccatum, & delebitur iniquitas, & adducetur Justitia sempiterna, & implebitur Visio & Prophecia, & ungetur Sanctus Sanctorum.* Quis hic non videt Christum, Ducem & Imperatorem, qui Regnum ædificavit spirituale sempiternum; quod carnales homines non intelligentes, ad terrenum & carnale Imperium detorquentes, & in Jesum Christum Regem & Ducem, quem occiderant, non credentes, reprobarunt, subintelligi?

Hic ergo venit, & a Judæis & Paganis occisus est. Quæ autem sunt, quæ hoc Christo Duce occiso ventura sunt? Non erit *Judaicus* ejus populus, qui eum negavit & occidit, & a populo cum Duce venturo dissipabitur Civitas & Sanctuarium, uti non modo Pro-

phetæ allati, sed & ipse, ut audivimus, prædixit Jesus Christus. Vidimus primum, videamus igitur postremum Oraculum ad literam adimpletum.

§. III.

Destruitur urbs & Templum, & dispergitur Gens Judæorum.

I. **J**osephus, in ipse Judæus, obsidionem, & destructionem Hierosolymæ, ejusque templi tam vivis & flebilibus depinxit coloribus, ut horreat oculus & animus legentis. Nos tantum memorabimus ea, quæ Christi & Prophetarum Oracula commonstrent completa. Jesus Christus de urbis & templi subversione ad discipulos oracula fundens: *Amen dico vobis, ait, non præteribit generatio hæc, h. e. illa, quæ tunc vivebat, donec hæc omnia fiant.* Daniel dicebat, dissolutionem urbis & Sanctuarii esse *post Christum Ducem occisum* venturam. Josephus ait, (a) Hierosolymam fuisse captam & a Romanis destructam anno secundo Imperii Vespasiani. Novimus autem ex historiis, Vespasianum acclamatum esse Cæsarem Anno Æ. V. LXXIX. (b) urbis igitur subversio contigit Anno LXXI. Christus Prophetiam suam dixit ante quartum Missionis Pascha, cum ageret Annum ætatis suæ XXXIII. consequenter XXXVIII. anno ante urbem destructam. S. Lucas scripsit Evangelium suum Anno Æ. V. LII. igitur Anno

(a) De Bello Judaico L. VII. (b) Morer. Dict. V. Vespasian.

Anno XIX. antequam evenerit factum a Scriptoribus Hebræis, Paganis (a) & Christianis relatum. Necdum igitur præterierat Generatio illa, qua vivente Jesus prædixerat, quæ contigere.

II. Vaticinati fuerant Judæi, *venturos esse Romanos, qui Gentem suam tollerent & locum; Daniel prædixerat: Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; Moyses prænuntiaverat: Adducet Dominus super te Gentem de longinquo. . . in similitudinem Aquilæ volantis cum imperu.* Dixerat Jesus: *Circumdabunt te inimici tui vallo, coangustabunt te undique, & ad terram prosterment te, & filios tuos, qui in te sunt.* Et rursus Moyses: *Destruentur muri tui firmi & sublimes, in quibus habebas fiduciam. . . obsideberis intra portas tuas. . . .* Legat eruditissimus Auditor & Lector obsidionem Hierosolymorum a Romanis sub Tito Vespasiano factam, legat extremam populi obsessi miseriam & calamitatem, famem & pestem, ac intestina in urbe furentia bella Zelotes inter & ceteros Judæos; legat, inquam, quomodo fame & angustia consumptæ Matres suos coxerint & comederint filios; quomodo præ fame nocte ex urbe repentes, ut herbas in fossis colligerent, a Romanis intercepti ad millia millium crucis patibulo fuerint suffixi, ita ut ligna deficerent. Legat, in hac urbe obsessa ultra millionem hominum interiisse, legat nonaginta millia ab inimicis, ut prædixerat Moyses, in ser-

X 2

vos

(a) Suetonius in Tito C. V. Xiphilin. Epitom. Dion in Vespas.

vos & ancillas divendita, ita ut non fuerit, qui emat, legat, inquam, in tota hac obsidione & destructione ultra millionem 336000 Judæorum fuisse consumpta, (a) legat & supra allata vaticinia, & videbit & Moyſis & Jeremiæ & Chriſti flebilia Oracula ad literam fuiſſe completa.

III. Præceperat manſuetiſſimus Titus, ut parceretur Templo, ſed aliter ultionis Dominus decreverat in Deicidam populum, & ſanguinem Jeſu Chriſti ſuper ſe & ſuper filios ſuos clamantem. Succenſum igitur eſt Templum, illud ſplendidum Orbis Miraculum, & vindex Dei ira, ut prænuntiaverat Jeremias, *complevit furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ, & ſuccendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.* Et ſic Templum ſolo æquatum in ruderæ & cineres conſumptum interiit. Dixerat Dominus: (b) *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta (ecce oracula fœderis antiqui cum iis novi concordata) ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat.* Et quæ major abominatio in Templo videri potuit, ſive intelligas ſub ea Zelotes pedibus & manibus impuris Sanctuarium intrantes & Templum in Præſidii caſtellum formantes, ſive intelligas ſub abominatione vaticinata Aquilas Romanas Templo ruenti ſuffixas, ſive Imperatorum imaginem in ſignum triumphii in Templo erectam & a Pagano milite incenſo ſancto adoratam, ſive

15. (a) V. Fleury L. II. H. E. n. 41. (b) Matth. XXIV.

ſive denique hanc abominationem deſolationis putes ipſum Templum dirutum atque conſumptum.

IV. Sed quæ ſunt ea, quæ mala poſt hanc abominationem in Templo viſam præcinuit Vates? *Appropinquavit ſinis noſter, completi ſunt dies noſtri, quia ſinis noſter; prædixit Jeremias; Daniel vero hiſce expreſſit vaticiniis: Deficiet Hoſtia & Sacrificiũ, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & ſinem perfeverabit deſolatio.* Aliis hanc perennem deſolationem urbis, Templi & populi Moyſes deſcribit verbis: *Diſpergit te Dominus in omnes populos a ſummitate uſque ad terminos ejus & ſervies ibi . . . in gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui, dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum cet.* Nihilo eſt opus, quam aperire oculos noſtros, ut conſpiciamus hæc triſtiſſima oracula in perfida iſta gente per ſæcula octodecim fere ad noſtra uſque tempora ad literam adimpleta: Ab illa enim deſtructionis & deſolationis die conſpiciamus Judæos in mundum univerſum diſperſos, conſpiciamus eos, ut prædixit Oſee, *ſilios Iſrael ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, ſine Altari, ſine Ephod, & ſine Teraphim; Videmus eos ſervientes cunctis nationibus, ſed ſemper pavido corde, nec die nec nocte quiete gaudentes, & animam eorum molore conſumptam.* Videmus, inquam, illud a Chriſto Lacrymis prædictum ad literam adimpletum: *Ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eo quod non cognoveris*

veris tempus vifitationis tuæ: Quæ omnia Prudentius hæc
ce describit versibus: (a)

*At tua congestæ tumulant holocausta ruinae;
Quid increare, Titus docuit, docuere rapinis
Pompejana neces, quibus extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur.
Exitus vagus huc illuc fluctantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christi que negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.*

V. Supererant equidem adhuc quædam devastati
hujus Templi rudera, sed & hæc, ut adimpleretur
Christi Oraculum dicentis, non relinquendam esse Pe-
tram supra petram, erant destruenda & dissipanda. Et
quando? dignum omni memoria factum! Julianus
Apostata, ut Christianorum Evangelium & vaticinium
monstraret irritum, Anno CCCLXIII. cum contra Per-
sas pararet bellum, Posteris memorabile Imperii sui
monumentum relinquere constituens, & Christi Ora-
culum confundere cupiens, jussit Judæorum Templum
a Tito destructum ingenti pretio & opera ab immenso
Artificum & Opificum numero reædificandum. Con-
volant ex omnibus Provinciis latantes Judæi, & ipsi &
mulieres eorum magno cum ardore, & quoque argen-
teis instrumentis, in vestibus aureis, in cepto opere
suam locant operam, offerunt monilia & Onyches, &
quid-

quidquid pretii habent. Quis autem immensi hujus
operis & laboris effectus? Enarret id nobis Gentilis Scri-
ptor, incredulis nequaquam suspectus, actualis in acie
Juliani militiæ Præfectus, & insignis Imperatoris Apo-
stata Encomiastes Marcellinus Aminianus. Hæc sunt
ipsius a multis Scriptoribus aliis suo tempore firma-
ta: (a) „ Ambitiosum quondam apud Hierosolymas
„ Templum: quod post multa & internecina certami-
„ na, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægre est
„ oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immo-
„ dicis Julianus, negotiumque maturandum Alipio
„ dederit Antiocheni, qui olim Britannias curaverat
„ Pro-Præfectus. Cum itaque rei idem instaret Ali-
„ pius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi
„ flammæ prope fundamenta crebris assaltibus erum-
„ pentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus
„ inaccessum, hocque modo elemento destinatus re-
„ pellente, cessavit inceptum. „ Et sic in hanc usque
diem, lapidibus, ruderibus & fundamentis terræ motu
aut suffossis, aut ignium turbine ejectis, & dissipatis,
nemo de Templo ædificando, sic jubente ultione Do-
mini, cogitavit. Basnagius equidem & Midleton hoc
prodigiosum & per orbem universum celebratum fa-
ctum involvere tenebris; Verum doctissimus Warbur-
thon in Dissertatione sua *de Terræ motibus & eruptionibus
ignium Projectum de reædificando Hierosolymorum Templo
abortui facientibus* eorum nugæ & sophismata adeo re-
pressit, ut de Historiæ veritate nec nota dubii restet.

(a) In Apotheca advers. Judæos v. 536.

(a) Libro XXIII. C. I.

„ En cunctos, ait Laudatus Anglus, Historicos Characte-
 „ res, qui de factis etiam ipsi increduli expresso volunt.
 „ Est paganus Scriptor, igitur omnis ergo Christianos
 „ partialitatis expertus. Est subditus, curiæ & militiæ
 „ Officialis, & ipsius Juliani admirator, igitur ab eo,
 „ quod Imperatoris posset maculare nomen, longe
 „ remotus. Erat Scriptor sagax, prudens & discretus,
 „ non multum ab Hierosolymis distans, successui co-
 „ ævus, præsens, & sedulus rei inquisitor & facti,
 „ scripsit in Libro, in quo illam minus felicem
 „ in Persas descripsit expeditionem, ejusque narratio
 „ petuit Sophistæ Libani & ipsius Juliani testimoniis
 „ firmari. „ Non autem ipse solus sed & tot alii nar-
 „ rant Patres & Scriptores, Gregorius Nazianzenus, Am-
 „ brosius, Chrysostomus, Theodoretus, Socrates, Zo-
 „ zomenus, Rufinus aliique, quos inter Chrysostomus
 „ e pulpito Auditores seu oculatos facti ante annos viginti
 „ obvenientis provocat testes; testantur & ii, qui pro-
 „ digio convicti ad fidem Jesu Christi fuere conversi, Et
 „ quid est, quod ultra ad veritatem contestandam requi-
 „ rant increduli?

§. IV.

De Judæis in fine sæculi convertendis.

I. **D**e hoc tamen populo reprobato, exciso, pro-
 fugo & exule Divina vaticinatur miseri-
 cordia: (a) *Et post hac* (cum sederint dies multos, sine
 Rege,

(a) Osee I. vi.

Rege, sine Principe, & sine Sacrificio & Altari) *re-
 vertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum,
 & David Regem suum.* (h. e. adpromissum ejus filium
 Jesum Christum Regem Regum) *& pavebunt ad Do-
 minum & ad bonum ejus in novissimo dierum,* cum sci-
 licet, ut apud Ezechielem ait Dominus, *suscitabit super
 eos* (h. e. super omnes nationes terræ) *pastorem unum,*
 ubi, sicut Christus dixit, erit Unum Ovile & unus
 Pastor. Sunt servati in fœderis antiqui ab ipsis irriti
 facti & reprobati, & novi Christiani conditi testes,
 tandem autem misericordiam a Domino consecuturi.
 Illustrissimus Bossuet corrupti sæculi nostri Historiam
 plangens, non dubitat ex Apostolo hanc conversionis
 Judæorum Epocham non adeo remotam credere. Au-
 diamus Apostolum, postea cum Bossueto hanc de Vati-
 ciniis Prophetarum a Jesu Christo in Religione Chri-
 stiana stabilita completis dissertationem clausuri.

II. *Nunquid sic offenderunt,* ait Apostolus de Ju-
 dæis Deicidis, (a) *ut caderent? Absit, sed illorum de-
 licto salus est Gentibus, ut illos æmulentur. Quod si de-
 lictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum
 divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum? Vobis
 enim dico Gentibus (conversis, ex quibus & nos sumus)
 si amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptia nisi
 vita ex mortuis? Quodsi delibatio sancta est, & massa;
 & si radix sancta, & rami. Quodsi aliqui ex ramis fracti
 sunt (qui sunt Judæi) tu autem cum oleaster esses, insertus*

X 5

es

(a) Ad Romanos XI. II. sequ.

es in illis, & socius radicis, & pinguedinis Olivæ factus es. Noli gloriari adversus ramos (fractos Judæos). Quodsi gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices: ergo fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time; Sic enim Deus naturalibus ramis non percipit, ac forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem ac severitatem; in eos quidem, qui occiderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate (scil. in fide) alioquin & tu excideris (si incredulus es, ut prô dolor vel plurimi sunt hodie) sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur (nempe Judæi conversi) potens enim est Deus, iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es Oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii, qui secundum naturam suæ inserentur Olivæ: Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret; Et sic omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est: Veniet Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum, secundum Evangelium quidem inimici propter eos, secundum electionem autem charissimi propter Patres. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum; ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Concluserunt enim Deus omnia in incredulitate (væ nobis, qui increduli fieri cupimus) ut omnium

mise-

miseretur. Vult dicere Apostolus: Propter Incredulitatem Israelis Deus misertus est Gentium, ex quibus nos sumus, & propter incredulitatem Christianorum miseretur Deus Israelis. Hæc est conclusio laudati Bossueti; (a) Hæc autem illa Pauli Apostoli: O Altitudo Divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus. Quis considerat supra dictum Prophetarum Oraculum de Judæis in novissimo dierum convertendis, quod falli & fallere non potest, cum Jesus Christus dicat, cælum & terra transibunt, verbum autem meum non, & simul hunc Apostoli cordi sumit discursum, tremenda illa concutietur veritate, non longe abesse Judæorum conversionem, quia universalis Christianorum regnat impietas & incredulitas; Quam tamen veritatem fors alibi replicabimus. Sed nunc pro modulo nostro, ad incredulorum audienda Objecta procedamus.

SECTIO

(a) V. Histor. Univers. Chap. XX.

SECTIO TERTIA.

INCREDULORUM CONTRA REPROBATIONEM ET EXCISIONEM JUDÆORUM
DILUUNTUR EFFUGIA.

§. I.

Refutantur ii, qui Josephi de Jesu Christo testimonium suæ Historiæ volunt intrusum.

I. *J*erissimile non est, ajunt quidam, Josephum de Jesu Christo tam augustum dedisse testimonium, in quem neque credebat, nec unquam Christum, h. e. *Messiam* admittebat. Et quodsi Josephi testimonium esset, certe S. Justinus in suo cum Tryphone Dialogo, aut Tertullianus, aut Photius aut alter antiquioris notæ Scriptor ejusdem meminisset; sed ubi vel ulla ejusdem memoria? Verum antiqua est Eruditorum Regula, ex negativis parum positivi concludi posse. Josephus Historiam scribebat, partialitatis notam incurrisset, si factum tunc adeo celebre silentio præteriisset. Meminit igitur, non quid credat ipse, sed quasi invitus, quid de Jesu dicatur, refert; & ut ita dicam, in transitu recenset.

Neque autem Justinum, neque Tertullianum hujus testimonii meminisse, nosse oportet; Iudaicam per-

perfidiam ex codicibus Josephi, quam primum propagata Religione Jesu Christi potuerant, sedulo erasisse; sic & hodie in Bibliotheca Vaticana asservatur membrana Josephi Historiam ex Græco in Hebraicam traductam continens, in qua testimonium hoc celebre erasum conspicitur. (a) Hoc saltem negari non potest, ab ipso Origine, Tertulliano, antiquiore in pluribus locis illud citari, (b) & si Celsus intrusum credidisset, certe Origini aut Christianis objecisset. Photius nos parum movere potest, cum primorum XIV. Librorum Josephi de Antiquitat. Iud. mentionem non faciat, mentionem autem de Libro hoc XVIII. faciens, (c) longe splendidius de Jesu Christo testimonium ac ipse Iosephus reddit; fors ipsius testimonii brevissimi causa latius effusum.

II. Quid autem, inquiunt, Iosephi testimonium cum antecedentibus & sequentibus connexionis habet? Plane nec ullam, quod evidens intrusionis est signum. Et nonne, quasi agentes triumphum subjungunt, Iosephi testimonium ab ipsa veritate est alienum, quoniam etenim sunt illi plurimi gentiles, quos Iesus traxerit ad se, cum paucissimos eorum numeret Evangelium? Ast quem nexum requirunt ab Historico, qui Acta & facta Chronologico recenset ordine? Si materias necesse vellet, etiam facta ad Lectoris nauseam repetere deberet. Notandum bene; Iosephum, ne & Iudæos &

(a) Hesch. de usu Libr. Rabbin. (b) Contra Cels. L. I. & Hom. XI. in Matth. (c) Phot. CCXXXVIII.

& Romanos offenderet, quasi prætereundo Iesu Historiam tetigisse dicendo: *Fuit in illo tempore de gentibus conversis plurimis*, plus respicit ad tempus suum, quam illud Iesu Christi. Vivebat autem adhuc in fine Sæculi I. sub Domitiano Imperatore, ubi quantum inter Gentes fuerit dilatata Christi Religio, ipsa testatur Domitiani crudelissima persecutio. Nominent, si velint, quisnam intruserit? Nominare possumus Hieroclem, qui primus illud omisit, ut recte in ipsius opere, notat ad locum hunc eruditissimus Editor. Nominent ex Antiquis, qui illud intrusum dicant? Nos ipsis nominamus Originem, (a) Eusebium, (b) Hieronymum, (c) Isidorum Pelusiotam, (d) Sozomenum, Cedrenium, Nicephorum, Suidam, Theodorum, Hegeppum, & post ipsos criticos & antiquos & hodiernos, (e) qui testimonium in Iosephi codicibus legunt, & genuinum agnoscunt. Est etenim stylus; sunt phrasæ Hellenisticæ Iosepho sicut in ceteris ita in præsentibus familiares. Et quodsi intrusum esset, ubinam alibi de Iesu testimonium dicit? Aut dicendum, vel potius somnandum, de Iesu prorsus nil dixisse, cum de Iohanne Baptista, de Iacobo, aliisque ad Christum adpertinentibus verba faciat; De Iesu, inquam, in Iudæa & Romæ adeo Persona celebri; & nequidem de eius saltem, ut tunc spargebant, Sectæ, & Messæ, ut volebant, prætenso nomine, cum de falso Theoda tanta refe-

(a) Loc. supra cit (b) H. E. L. I. & Demonstr. Evang. L. IV. (c) De Script. Eccles. (d) In Epistolis. (e) Apud Huetium Dem. Evangel. Prop. III.

referat, (a) Historicus Gentis suæ tanta, & in tam exitialem finem pro gente sua vergentia facta reticuerit? Credat, qui possit, me minime posse, confiteor.

§. II.

Rejicitur eorum opinio, qui ex Prophetarum Oraculis inferri nil posse contendunt.

Cum increduli nil sobrii reperiant, quod contra evidentem & omnium oculis in hanc usque horam obversantem Iudæorum Reprobationem & Exilium obmoveant, saltem in ipsa Prophetarum Oracula insurgunt. Etiam Captivitatis Babylonicæ tempore destructa fuerat Hierosolyma & Templum; Verum nemo somniavit, inde pactum & fœdus antiquum aut irritum aut sublatum fuisse, igitur nec ex Iudæorum Exilio, nec ex Templo destructo simile quid legitime inferri potest. Verum quis non manifestam disparitatem palpat? Ibi per Prophetas præfixum septuaginta annorum tempus consignatum erat; Daniel de Desolatione in finem duratura loquitur. Octodecim effluxere sæcula, quot ergo supersunt, ut finita desolatio dici queat? Respondeant cum Iudæis increduli. Nonne tunc Iudæis & ipse Cyrus, qui eos in libertatem ducat, ab Isaia nominatus erat; Promissum erat ipsis, ut in Patriam reverterentur, & suam exercerent Religionem, ut in Ezechiele de Urbe & Templo dicente constat, & post


annos

(a) Antiqui Judaic. L. XX. C. 2.

annos septuaginta finiendam esse Captivitatem asseruit Ieremias Propheta. Sed ubi de reparando Templo & Urbe, nisi in novissimo Dierum spes aut promissio? Præsumpserant & tentarant, Imperatorum potentum divitiis & opibus e ruderibus erigere fabricam, sed cælum dissipavit consilia & opera. Denique legant attente increduli Prophetica oracula, si quid dubii inveniant. Dictum fuit per Prophetam Ieremiam, non modo pactum antiquum esse abolendum, sed & novum esse ferendum; ubi autem quid simile in illo Babylonico, reperiunt exilio; vident autem, & vivunt ipsi in hoc pacto novo, per mundi conversionem & prædicatum Evangelium stabilito, &, ipsis Judæis testibus, per orbem univrsam executioni mandato. Inania igitur sunt effugia ista.

§. III.

Marshami refellitur opinio.

I.  ecurrunt increduli ad paradoxam Marshami opinionem, (a) multa peritia & dextero Chronologiz studio evincere volentis, Danielis Vaticinium de Templi profanatione in illa completum fuisse, cum Antiochus Epiphanes Anno ante Æ. V. CXXI. in Templo occiderit Oniam, & disperserit Sacerdotes. Verum equidem est, Oniam Christum sive Unctum Domini potuisse dici, ast ubi cetera Danielis Vaticinia in

(a) Canon. Chronic. Ægypt. Sæcul. XVIII.

in illo tempore completa fuissent? Ubinam dissipata Civitas & Sanctuarium? Ubinam consummata prævaricatio? Ubi peccati finis? Ubi deleta iniquitas? Ubi sempiterna adducta Justitia? Ubi impleta visio & Prophecia? Ubi unctus Sanctus Sanctorum? Ubi statuta desolatio? Ubi Aquilæ abominabiles, ut textus Hebraicus habet? Ubi ad finem tunc desolatio? Non dicam Marshamo, & incredulis ipsius armis fidentibus, ipsum adserere Josephum, (a) ut supra audivimus, Danielem de Romanorum Imperio scripsisse, illos magnam vastitatem Genti suæ illaturos esse, & hæc omnia a Deo sibi monstrata scriptis consignata reliquisse, ita, ut, qui ea legerint, & eventus perspexerint, Danielem mirentur. Aut igitur Danielem non legerunt, aut eventus non perspexerunt atque perspiciunt.

II. Sed quid hisce moramur? Legant ipsius Jesu Christi verba apud Matthæum dicentis: *Cum videritis abominationem Desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Legant igitur Evangelium, legant Danielem, legant illa, quæ de Excidio Urbis & Templi scripsit Josephus, & alii, legant in Judæorum oculis nostris ubique obviantium sine Principe Templo & Altari dispersorum Exilium. Legant, & intelligant, adimpleta esse Vaticinia, & Religionem Christianam non solennius, non palpabilius habere veritatis & Divinitatis suæ testimonium, quam dispersam, reprobam, & desolatam Judæorum

Y
Gentem.

(a) Antiqu. Judaic. L. X. C. XI.

Gentem; ut nuper incredulus Militiæ Præfectus multum sermonem cum quodam fidei conferens, & ad urbis portam Judæorum turmam in Sabbatho stantem obviam habens, eamque digito monstrans ajebat: Hoc, amice, hoc Argumentum vellem solutum, & de Religionis Christianæ fallibilitate vix mihi dubium superesset. Multum equidem incredulitatis habere necesse est, hoc solo ac unico a fidelitate tardari dubio; Verum velut istud, sic & cetera Religionis Christianæ hucusque producta testimonia ab incredulo solvi non posse, omnino persuadeor.

III. Conantur tamen increduli hæc omnia hucusque a nobis adducta pro Religionis Christianæ veritate & Divinitate argumenta, unico, ut jactitant, diffiare halitu. Omnia, quæ Religionis Christianæ veritatem & Divinitatem demonstrare adnisi estis, inquit, Librorum Novi Testamenti Authenticitate & Autoritate inædificata fuere. Verum si hi Libri falsi, supposititii, conficti & recens inventi sunt; Si ea, quæ narrant, fabulæ & imposturæ sunt; Ex iis quid Autoritatis, quid veritatis, & quid Divinitatis pro Religione Christiana aditari & demonstrari poterit?

Ecce in novum provocamur Disputationis campum, quem ea, qua licebit brevitate percurremus, ut incredulos probe convincamus, Libros Novi Testamenti, æque ac eos V. T. ut probavimus in Libro priori, esse authenticos, veros atque Divinos. Quod tripartito capite perfolvemus.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM DE LIBRORUM N. T. AUTHEN- TICITATE.

SECTIO PRIMA.

DEMONSTRATUR EORUM AU- THENTICITAS.

*M*orunt omnes, qui Christo nomen dederunt, Libros Novi Testamenti non esse alios, ac quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, eorumque Epistolas, in quibus Religionis Christianæ Historia & Doctrina Jesu Christi Evangelica continetur & dilucidatur. Libros Authenticos dicimus illos, qui ab Authoribus, quorum Nomina in fronte gerunt, conscripti, & ei quidem, qua refertur, ætati, tempori, quo narrant, sese vidisse & audivisse, convenienti promulgati & publicati fuerint. Videamus an hæc de Libris N. T. dici queant & debeant.

§. I.

PRIMUM AUTHENTICITATIS ARGUMENTUM.

Ex librorum conscriptione.

Apostoli profecto non sunt personæ fictæ aut unquam in dubium controversæ; Nemo incredulorum eorum Existentiam unquam impugnare præsumsit: *Viles, energumenos, impudentes, seminudos, visu feroces, gressu violentos, (a) homines fanaticos, ambitiosos & impostores, (b) eos præscindere non dubitarunt incredulorum maximi, sed eorum disceptare Existentiam nullus somniavit ipsorum, in hoc forsân Magistrorum Celsi Porphyrii & Juliani secuti Exemplum, qui omne impietatis & calumniæ venenum, ut Ethnici & Apostatæ, ceu in viles & abjectos Galilæos, ut compellabant, exspuere concertarunt. Si autem de eorum Existentia dubium non superest, pariter dubitare non licet, ipsos, ea, quæ viderint & audierint a suo Magistro Jesu Christo, annuntiasse & prædicasse. Neque de hoc unquam disputare, bene tamen eos ceu fanaticos homines fuisse deceptos & deceptores, criminari sunt ausi, ut modo citati fabulantur incredulorum Magistri. Extiterunt igitur annuentibus incredulis, Apostoli Jesu Christi, qui id, quod audierunt, mundo annun-*

(a) Bolingbrock Exam. important, C. X. (b) Christianisme Devoilé p. 30.

annuntiarunt universo. Quis autem ultra dubitare poterit, hos Apostolos & Religionis & Doctrinæ Christianæ Præcones voluisse Ecclesiam, sive opus stabile, & post ipsos in finem sæculorum duraturum fundare atque erigere? Eorum igitur & fuit feligere media propria, secuta & efficacia; neque dicere fas est, viros, qui tantum opus mirabile vere & incredibile conati sunt, non minus fuisse sapientes & providos, ac omnes Legislatores, Imperiorum & Sectarum fundatores, qui non aliud Legum, præceptorum, instructionum & Regularum suarum solide stabiliendorum medium opportunius noverant, ac ea literis consignare, aut consignari curare; Hæc etenim scriptio & consignatio est unicum proprium, securum & efficax remedium ad doctrinas implantandas & propugnandas; Igitur nec ultra dubitare fas est, Apostolos Acta, & Facta, dogmata & præcepta, quibus mundum universum instructum & ad finem sæculorum usque instruendum cupierunt, literis conscripsisse; Proinde & ipsa hæc scripta, Evangelia, Actus & Epistolas Apostolorum eorum esse Auctorum, quorum Nomina in fronte gerunt.

§. II.

ALTERUM AUTHENTICITATIS ARGUMENTUM.

Ex Traditione.

- I. **U**niversalis Ecclesia Christiana, omnesque ejusdem particulares, imo & Schismaticæ

& Sectarizæ, quæ in consutilem Christi vestem tam misere ab initio usque modo disciderunt, unanimi confitentur ore & calamo, Apostolos Evangeliorum & Epistolarum, quorum Nominibus inscripta sunt, genuinos esse Auctores. Quis autem hoc universale Christianorum testimonium in omni ætate, in omni loco, ab omni natione tam solenniter datum non solidissimum & ineluctabile Authenticitatis suspiciat argumentum? Aut, ut humano loquimur modo, possibile fuerit, aut omnes, quot quot omni ætate & omnium nationum & locorum homines vixerint, ignorasse, qui horum operum fuerint Authores, aut omnes simul fuisse deceptos, ut opera Apostolis tribuant, quæ erant aliorum? Etenim si adeo cauti circumspectione fuerunt, ut omnia, quæ Apocrypha & supposita crederent & invenirent Evangelia, Acta Apostolica, & Epistolas, solenni & unanimi consensu rejicerent; nonne exinde inferre necesse est, ea, quæ concordi Authoritate pronuntiarunt canonica & authentica, talia & recipi debere? Taceo sedulas & rigorosas illas Manuscriptorum per mundum disperforum, eorumque variantium crifes, quæ quasi Actu publico & juridico, confrontatis hinc inde textibus & locis a Patribus & Scriptoribus primorum sæculorum allatis, fidem publicam & indubitam fecerunt.

II. Sed aliud memorabilius traditionis hujus invincibilis testimonium ex ipsis Paganis, Judæis & Hæreticis Christianæ Religionis infensissimis inimicis depromo.

Quis

Quis crederet, cum eorum astutiæ & sagacia omnem movebat lapidem, ut Evangelio ejusque Doctrinæ resisterent, ejusque Authoritatem evellerent, quis, inquam crederet, si unquam aut fraudem aut fraudis suspicionem detegere potuissent, eam in oculos eadem Evangelia contentium & profitentium coniecisse? Quid non Celsus, Porphyrius, & Julianus contra Christianam Evangeliorum Doctrinam moliti fuere? Quid non primorum Sæculorum Hæretici Simon Magus, Cerinthus & Ebion, totaque Gens Judaica contra Christianorum dogmata cum ipsis Paganis adnisi sunt; Sed nunquam legimus, cum Christiani cum ipsis certarent, & ex libris N. T. argumenta & textus citarent, ipsos eorum aut suppositionem aut falsitatem, aut Authorum dubietatam objecisse. Agnoverunt igitur & Judæi & Pagani & Hæretici eorum Librorum Authenticitatem & Autographorum veritatem. Quod solenne Traditionis testimonium sane cunctos convincat incredulos, necesse est.

S. III.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex rejecta suppositionis umbra.

I. **S**i christianæ Religionis inimicis quædam suspicio aut umbra de suppositiis Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum libris faveret, illam ex temporis, aut Personarum, aut Rerum cohærentia erui

erui oporteret. Sed unde? Non ex tempore. Dicant enim, quo tempore hi libri Apostolis impositi fuerint? Eos antiquissimos, imo Apostolorum temporibus profusus esse coævus, ex Libris Patrum, hos libros eorumque testimonia citantium concludere fas est; igitur vel ipso Apostolorum tempore, vel paululum post suppositi fuere; si ipso Apostolorum tempore, nullus contradixerit Apostolorum? Si paulo post, nulla ab ipsis fundata Ecclesia, in quibus legebantur continuo Evangelia & Epistolæ, huic fraudi obstiterit, & impostorem confuderit, rejeceritque? Ergo tardius post Apostolorum tempora hi libri confecti & Christianis fuerint impositi? Hic justa & æqua adhibenda est crisis, Ea, quæ in his libris continentur, nequaquam possunt esse recens inventa; etenim sive Chronologiam, sive Geographiam, sive mores & usus, sive Regiminis formam, sive Religionis cultus & ritus pensitemus, ea omnia ipsorum temporibus ita comperimus conformia, ut qui posterior ea fingere aut conscribere voluerit, nequaquam potuerit; siquidem, qui non a visu & auditu est testis, similia, temporì & usui accommodata, in aeternum conscribere & Historica serie contexere non potest.

II. Sed & aliam ratione temporis, locorum & rerum reflexionem jungamus. Hi N. T. libri jam in ipsis Apostolorum temporibus omnium versabantur manibus, a Scriptoribus citabantur coævus, a Doctoribus & Catechistis in publicis docebantur conventibus, & ut verbum Dei pientissimo & ferventissimo respiciebantur &

& colebantur zelo; si quid falsi, quid novi, quid suppositi advertissent, ane fraudem tacuissent? Quænam autem continebant hi Apostolorum Libri? Mysteria abstracta, impenetrabilia, leges & præcepta austera & difficilia, Doctrinam moralem, quæ omnes offendit passiones & sensus; & tamen infinita hominum multitudo per omnes mundi angulos dispersa hoc gravissimum jugum patienter succollarit, si vel minime fraudis & suppositionis umbra aut suspicio intercessisset? Si rescivissent, sicut scire debuissent, & potuissent, quendam Impostorem Apostolorum nomine talia ipsis onera imponere & incalcare potuisse? Et nonne, si vel de unius & solius Libri aut Epistolæ Authenticitate dubium fuisset exortum, tota periclitata fuisset Historia atque Doctrina? Cum autem illi, ut diximus, Christiani credebant universi, superest, ut & omnes & singulos ab initio de eorum Authenticitate fuisse persuasos, persuadeamur & ipsi.


SECTIO SECUNDA.

INCREDULORUM CONTRA AUTHENTICITATEM SOPHISMATA ET CAVILLULÆ DISSIPANTUR.

¶ *As*, quas increduli supra contra sanctos Apostolos effutierunt calumnias, infra retundemus, modo quid contra eorum Librorum Authenticitatem adferant, disquiramus, & dispellamus.

S. I.

Baylii Synchronismus disjicitur.

I. aylius famofus ille Incredulorum Vexillifer variis in locis varia contra Evangeliorum & Epiftolarum Authenticitatem dubia movet, (a) quibus exfcribendis pagina non fufficeret; Contrahamus ea, quæ sæpe & pluries dicit, in unum alterumve argumenti punctum, & quid foliditatis habeant, difpiciamus. Primo, ait: Qui Hiftorias novit, negare non potest, modo hanc, modo aliam Christianorum communitatem, modo de hoc, modo de alio Evangelio, aut Epiftola, quæ Canonica & Authentica pronuntiamus, dubitaffe, imo & hoc vel illam ceu spuria & apocrypha repudiaffe; falſus est igitur ille Eccleſiarum confensus, & laudata Traditio, aut faltem id, quod concluditur, non probat.

II. Prius de Evangeliiis, poſt de Epiftolis loquamur. Baylius ex eo, quod quædam communitates aut dubitaverint, aut rejecerint unum alterumve Evangelium, inferre præſumit, Apocrypha ipſorum eſſe monumenta. Verum ſcitne, quid probat? Fuere, fateor, communitates quædam, quæ hoc illudve Evangelium reſpuebant, non quia ab ipſis ſcripta negarent, ſed quia ea a Deo inſpirata diſſerentur; In hoc noſtra vertitur quæſtio,

(a) Diſſert. Hiſt. Crit. Abbellius, Attilius, Demetrius, Beaulieux, Rimini, Byrrho.

quæſtio, an Authores, quorum nomina in fronte geruntur, ſcripſerint nec ne; hoc illæ communitates minime negarunt, ſed eſſe ſcripta Divina, concedere noluerunt; quænam autem fuerint illæ communitates, ex S. Irenæo diſcamus: „Tanta, inquit, (a) eſt horum „Evangeliorum firmitas, ut & ipſi Hæretici teſtimonium „de illis redderent, & quilibet ex ipſis erroris firmitatem „trahere ſtuderet. Ebionitæ ſolo S. Matthæi utentes „Evangelio, manent ab eodem confixi. Marcionitæ ab „illo S. Lucæ Evangelio declarantur blaſphemi; quod „licet mutilatum pro regula tenent. Illi, qui Jeſum ſeparant (h. e. Gnoſtici) illud S. Marci præferunt. Et „Valentiniani illud S. Joannis recipiunt, imaginantes ſibi, „hic multum ſimilitudinis cum variis eorum combinatio- „nibus intercedere. „Ecce, ipſis Hæreticis teſtibus, in primitiva jam Ecclēſia quatuor Evangelia S. Matthæo, Marco, Lucæ, & Joanni, ceu autographa tributa fuere, nempe quod genuina ipſorum ſint opera; id quod & Papias Epicoſopus Hierapolitanus, (b) & S. Polycarpus Epicoſopus Schmyrnenſis, (c) ambo S. Joannis Evangeliftæ Diſcipuli, eorumque ſucceſſores & Diſcipuli modo laudatus Irenæus, S. Juſtinus, S. Clemens Alexandrinus, alique, & tota primitiva Ecclēſia, & integra ejusdem ſucceſſio ad hodiernum uſque diem, ut ipſe teſtatur Cave, (d) conſententur. Quænam autem fuerint illæ communitates, quæ modo hoc, modo illud rejece-

(a) S. Irenæus adverſum Hæreſes p. 190. (b) Ap. Euſt. Hiſt. L. II. C. 15. (c) S. Hieron. Ep. ad Theod. 19. (d) Hiſtor. Lit. de Script. Ecclēſ. ſub SS. his Nominibus.

rejecerint, pariter ex S. Irenæo didicimus, non quia ab iis scripta non essent, sed quia eorum erroribus deprehenderent adversantes. Et quæ erat eorum ratio, cur dubitarent aut rejicerent? Non alia, nisi quod nolint, hæc ab ipsis fuisse scripta? Verum quòdnam hoc novum argumentandi genus? Ebionitæ, Marcionitæ, Gnostici & Valentiniani nolunt hoc illudve Evangelium ab hoc aliove Apostolo fuisse scripta, ergo hoc illudque est Apocryphum: certe huic non dissimile: Tolandistæ & Collinistæ nolunt, Evangelia ab Apostolis esse conscripta, ergo non sunt genuina eorum opera. Risum amici!

III. Nunc & de Epistolis. Epistolam S. Pauli ad Hebræos, S. Petri, S. Jacobi, Apocalypsin S. Joannis olim per quoddam temporis spatium fuisse controversas, novimus omnes; verum hæ ipsæ controversiæ aperte testantur, Primitivam Ecclesiam in admittendis N. T. Libris caulissimam & providissimam fuisse, ne admitteret pro Authenticis, de quorum *Αυτογραφία* dubium haberet, igitur, quos admisit, nonnisi genuini & Authentici esse probantur. Quis autem, ut & ego ad Historiam appellem, ignorat, litem mox fuisse decisam, atque cum aperta fuissent producta monumenta, in Librorum canonem dubios sive repudiatos fuisse receptos. Quid autem, si & quidam partium studio seducti usque modo controversere amarent, quid inde veritati Religionis Christianæ præjudicii accedit? Sane nec ullum; siquidem Doctrina,

na, quæ in dubiis continetur libris, in Authenticis manifeste docetur.

IV. Baylius ut ultra suum disseminaret Scepticismum, insistit, plura sunt, inquit, quæ Patres antiqui ex Evangeliiis recitant, quæ neque in ullo reperiuntur: Sicut S. Clemens, dixisse Dominum: *Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi majora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit.* Sed ubi hæc scripta sunt in Evangeliiis? Rursus: *Estote boni usurarii?* Sed quis Evangelistarum hoc dicit? Miror viri Lectionem. Quid ergo Christus Dominus in illa dixit Parabola, ubi laudavit & præmiavit servum, qui quinque mnas ad negotiationem dedit, & quinque lucratus fuit: *Euge serve bone, quia super pauca fuisti fidelis cet.* Nonne legit Baylus: *centuplum accepturos, qui minuta reliquerunt?* Ecce *Usurarios optimos* a Domino descriptos. Possem equidem prorsus negare, hæc in Evangeliiis axiomata scripta non reperiri, si enim quæsierit, inveniet; Verum ut Philosophico me accommodem gustui, dicat mihi, an unquam in Scriptorum Libris sententias Quintilianii, Horatii, Livii invenerit citatas, quin eorum repererit verba; Indene autem ceu spurias rejecit *Rhetoricam* primi, *Epistolas* secundi & *Decades* tertii? Vel & dicere Philosophum talia, pudet.

V. Alio Baylius noster angitur scrupulo: Joannes in suo Evangelio dixisse refertur: *Scimus, quia verum est testimonium ejus:* vel igitur plures, infert, Evangelium

gelium ejus scripserunt, vel parum modestiæ in Apostolis decantatæ, Scriptori inest. Hercle! aut multum præsumptionis, aut multum ignorantæ habet, qui talia objicit. *Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his & scripsit hæc*, ait in fine Evangelii S. Joannes, (a) ergo non plures, sed unus fuit, qui scripsit. *Ergo parum modestiæ. . . .* Si autem dicit: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus*, non gloriando: Hic est Joannes, dixit cet. Apage cum tali jejuna crisi sed audiant increduli peremptorium: (b) Si a sæculo in sæculum, a nostro usque ad primum Ecclesiæ nascentis ascendimus, tam evidentes de Sanctorum Evangeliorum Authenticitate probas, tanto in numero, tanta in claritate, tot in citationibus Authorum, tot in antiquis omnium linguarum versionibus, in universali publicarum lectionum usu, in communi omnium Christianorum Nationum consensu habemus, ut ea supposita vel cogitare St. . . . fit.

VI. Tolandus cadentem causam conspiciens, eam novo tentat animare vigore. (c) Viderat desperatus iste Atheismi Martyr anno 1709. Amstelodami Manuscriptum Italicum ante annos 500 conscriptum, & a Cramero Regis Borussæ Residente productum, hoc titulo: *Il vero Evangelio, di Giesù chiamato Christo secundo Barnaba suo Apostolo*: h. e. *Verum Evangelium Jesu, qui dicitur Christus, secundum Barnabam Apostolum suum.*
Hoc,

(a) Joan. XXI. 24. (b) Sermon, sur l'Incredulité sans excuse. (c) Lib. Nazarenis inscripto.

Hoc, inquit Manuscriptum est fidelis Evangelii Hebraici a S. Barnaba scripti traductio, quo utebantur Ebionitæ & Nazaræi (& ne quidem hos novit discernere Tolandus?) & quod Parres ex ignorantia modo Evangelium Hebræorum, modo duodecim Apostolorum, modo Matthæi compellarunt. Sic igitur hoc, ergo & illud Matthæi aperte apocryphum est. Vere Tolandus ignorantæ argui meretur. S. Hieronymus in suo de Scripторibus Ecclesiasticis Libro adfirmat, se S. Matthæi Evangelium ex Hebraico in Græcum & Latinum vertisse. Quodnam autem erat Evangelium Ebionitarum & Nazaræorum? Toto, inquit Fabricius, (a) cælo differant, nam Ebionitæ, S. Epiphonio teste, (b) erroribus conspurcatum, suo accommodabant systemati, ut latius Fabricius ex S. Ignatio, Hegesippo, Origine & Clemente Alexandrino, qui omnem S. Hieronymi versionem præcesserunt, clare demonstrat. Nunc surgit anno 1709, Tolandus, producit Exemplar Italicum a Calabriensibus Christiano-Turcis (c) ante annos 500. h. e. mille annis posterius conscriptum & Barnabæum dictum, cujus (scil. Barnabæi Evangelii) nequidem in primis quatuor sæculis ulla reperitur mentio, sed modo anno 593. in Concilio Romano ceu Apocryphi auditur proscriptio, & clamat: *Ecce S. Matthæi Evangelium.* Judicet Auditor & Lector, quid responsi mereatur.

§. II.

(a) Cod. Apocr. N. T. I. 1. p. 360. (b) Hæres. XXX. (c) De la Croze apud Fabric. p. 374.

§. II.

Alterum Tolandi rejicitur argumentum.

I. **A** primitiva, inquit Ecclesia multa alia sacra Evangelia, Actus & Epistolæ Christianorum terebantur manibus, v. g. *Evangelium Infantie Jesu Christi; Evangelium perfectionis, Evangelium veritatis, Evangelium S. Petri; Evangelium S. Pauli; Evangelium S. Andreae. Evangelium S. Jacobi minoris: Evangelium S. Bartholomæi; Evangelium S. Philippi, Evangelium S. Thomæ; Evangelium S. Matthiæ, Evangelium S. Thaddei, & dictum Evangelium S. Barnabæ, Actus, Sermones & Epistolæ Jesu Christi & diversorum Apostolorum*, (a) quæ omnia venerabilia in fronte nomina gerunt; vel igitur hæc omnia Autographa, vel & Matthæi, Marci, Lucæ & Joannis apocrypha sunt. En mirabilem confusionem! sicut igitur omnia, quæ recenset, sive Apocrypha sive Autographa, ergone nostrorum quatuor Evangelia propterea Apocrypha dici merentur? Anne solum, quia venerabilia nomina in fronte gerunt, Autographa ab Ecclesia habentur? Enormiter errat Tolandus. Ecclesia, cui Christus suam usque in finem sæculorum assistentiam adpromisit, divino collustrata lumine granum discernit a paleis, & Evangelia a Pseudo-Evangeliis discriminat; & post inaturum examen hæc rejicit, illa vero sacro canoni adscribit. Ab ipsis Ecclesia acceperat Apostolis, hæc quatuor Evangelia esse genuina

(a) In Amintore, in vita Miltonii.

genuina & Autographa Authorum: Matthæi Evangelio utebantur plures Apostoli, & illud S. Marci approbat S. Petrus, *cujus ille erat discipulus & Interpres.* (a) Illud S. Lucæ vocabat S. Paulus *Evangelium suum*; (b) S. Joannes, qui postremum suum scripsit Evangelium priora revidit & approbavit; (c) His omnes utebantur Ecclesiæ, legebant ea publice, & suis inferebant Lyturgiis. (d) Ubi autem similia de recensitis unquam legimus? Quamprimum prodierunt, ceu merces suspecta fuerunt habita & repudiata; quia inveniebantur fabulis insulis conspersa & a Doctrina & Historia vitæ Jesu Christi ab Apostolis annuntiata prorsus dissona & adversa. Crederem tunc majorem universali Ecclesiæ deberi fidem, quam Tollando nuper nato, & Atheismi publice convicto atque punito.

II. Sed, inquiunt Increduli, nonne & ipsæ Isidori Decretales, totumque Gratiani Decretum per plura sæcula universæ Ecclesiæ habuit adsensum & adprobationem; Si ergo Ecclesia universa potuit errare in uno, quare non potuerit quoque falli in altero? Verum, quæ consecutio ex Decretalibus ad Sacro-sancta Evangelia? Hæc tangunt mundum universum, omnesque omnino homines nullo excepto. Ecclesiæ igitur universalis intererat, ea omni cum rigore & industria examinare atque discutere. Sed Decretales Isidori particulares

Z

con-

(a) S. Iren. p. 187. (b) Ad Rom. II. 17. (c) Euseb. Hist. L. III. c. 14. (d) Dupin Dissert. Prelim. sur la Bible.

concernebant materias atque Personas; Ecclesiæ igitur nunquam intererat, eas examinare atque discutere. S: Evangelia ab initio Religionis Christianæ omnium terebantur manibus; Isidoriana merces nonnisi ab initio sæculi noni Moguntinis prorepsit ab oris; strepuit & obstrepuit Gallia, Anglia, post & Germania: ultra occidentem pedem non extulit. Tandem Blondello, & aliis Isidori merces ad incudem vocantibus, nemine contradicente, tales sunt declaratæ, quales fuere. Errant igitur increduli, Decreta Isidori aut Gratiani Ecclesiæ consensum & adprobationem unquam habuisse, sed constat potius, a privatis quæsitam a sacra sede minime obtinuisse.

§. III.

Refelluntur Collinii cavillationes.

I. **C**hristianos, inquit, Sacrorum Evangeliorum producitis fidejussores, sed qualem hi testes in propria causâ merentur fidem? Ex Historiis constat, per annos trecentos Evangelia Romanis & Græcis incognita fuisse; & ex Chronico Victoris Tunonensis habemus: *Messala V. C. jubente Anastasio Imperatore sancta Evangelia, tanquam ab Idiotis Evangelistis composita, reprehenduntur & emendantur.* Si prius incognita, si Sæculo VI reprehensa & emendata, ait Collins, (a) qui possunt dici Apostolorum Autographa & Divina?

II.

(a) Collins sur la Liberté de pens. p. 123.

II. Quid non corradit incredula iniquitas, ut simplicibus faciat fucum, & eorum oculis inspergat pulverem. Ostendimus, Ecclesiam non in Christianis solis, sed & in ipsis Judæis & Paganis; eorumque testimoniis Evangeliorum Authenticitatem fundare. Sacra Evangelia trecentis annis Græcis & Romanis incognita fuisse, incredulorum pace dixerim, solenne mendacium est. Nunquid, ut audivimus, ipso Tacito teste & Plinio sub Nerone & Trajano ingens erat Romæ & in Provinciis Christianorum multitudo? Et nonne jam sub Nerone Paulus Apostolus de Evangelio ceu Libro profus cognito sermonem fecit, & juxta illud diversas in diversis partibus fundavit Ecclesias? Fors post trecentos annos modo vixere Justini, Irenæi, Tertulliani, Origenes cet.? Nonne ipso S. Justino teste in conventibus legebantur Evangelia? Nonne Tertullianus sacrorum Evangeliorum textibus apocrypha Hæreticorum confudit Evangelia? Et quodsi soli Christiani ea testarentur, undenam falsum eorum testimonium? Si falsum aut fraudulentum fuisset, tacuisset Celsus, Porphyrius, Julianus, Judæi atque Pagani? Nil fraudis, sed solum abjectorum hominum notam objecerunt.

III. Nunc ad aliud Victoris testimonium respondeamus. Nil crisis, ait Baylius, (a) reddit magis fallacem, quam textus corruptio, cui nititur crisis. Hoc sibi notet Collinius, & dicat nobis, cur Victoris corruerit textum? In Chronico Victoris, ait, Con-

L 2

stan-

(a) Diction. Art. Cassius.

stantinopoli, jubente Anastasio sancta Evangelia esse emendata docetur; Quare subtrahet locum, & universaliter esse emendata adfirmat? Ille Anastasius Acephalorum caput, simile quid attentasse facile conceditur, sed a populo tumultuante fuisse expulsum, & non prius readmissum, nisi capite nudo & publico sermone adpromiserit, se Concilii celebrandi Decretis esse subscripturum. (a) Et hic Anastasius impium suum attentatum Constantinopoli (non dicam in Occidente, ubi Theodoricus Christianam tuebatur Religionem, (b) perfecit, & Evangelia immutavit? Credat, qui possit.

IV. Sed, inquit Deista, Victor fuit Chronologus contemporaneus, fuit vir pius & sanctus, igitur potius factus, quam conjecturis adhibenda est fides. Bene ait, fuit Chronologus & contemporaneus, sed in obscuro Africæ Angulo scribens, cum longe celebriores Historici & Chronologi, Procopius, Evagrius, Cedrenus, Theodorus, Marcellinus, alique non solum contemporanei & Græci, sed & in ipsa urbe Politana habitantes, alii vero Anastasii Acta & facta impia enarrantes & ampliantes altissimum de eo silentium tenent. Sed fuit vir probus, sic est, sed & Marianus Scotus fuit vir probus, & tamen quis credit fabulam de Joanne Papissa suo Chronico insertam? Nonne & Harduinus scribere est ausus? (c) Sæculo XIII. Principem quen-

(a) Evagr. Hist. L. IV. (b) Cassiod. (c) In Pref. ad Epist. Chrysof. ad Cæs. Mont.

quendam certorum imposturum ope cuncta Antiquitatis opera conscribi, & certis Authoribus (solis Ciceronis, Horatii, & quorundam Profanorum Scriptorum operibus exceptis) adfingi & inscribi fecisse; quid ergo si quispiam post V. Sæcula pro hac opinione citaret Harduinum, nonne orbis literarii & ipse fabula fieret. Scripsit ergo Victor Tunonensis, sed scripsit solus, non quod vidit, sed quod, Deus scit, unde auditu percepit; audivit Anastasium & Messalam talia tentare voluisse sed correxisse & emendasse, silent omnes, qui ea ætate vixerunt, & in ipsa urbe scripserunt. Aut est Anastasius & Messala consul; qui Evangelia corrigerent & emendarent? Verum nec correxisse nec emendasse invicte ex Patrum evincitur testimoniis, qui ante & post Anastasium, eadem sacra Evangelia, eosque sacros textus & in Græco Latinoque, quin minima adpareret diversitas & correctio, idiomate adclarant.

V. Hoc tamen ex Historiis novimus, reponit incredulus alter, S. Evangelia non nisi Anno Æ. V. LX. fuisse publicata, & non nisi Anno CXVII. in Canonem relata: Quis igitur fidem dare potest, Evangelia eorum esse Authorum, quorum nomina ferunt? Legat Incredulus Historicos Ecclesiasticos, & comperiet, S. Matthæum suum Evangelium scripsisse octavo vel nono post Christi mortem anno; S. Marcum vero suum scripsisse anno X. Eodem tempore comparuit Evangelium S. Lucæ; & post annos ab hoc XL. S. Joannes suum ad instantiam Ecclesiarum Asiæ in lucem dedit. Ab eo igitur


igitur tempore, quo ab Auctoribus conscripta fuere, etiam in Ecclesiis jam publice Acta, publicata & servata sunt, licet modo anno LX. aut CLXVII. aut & ferius in canonem relati fuerint. Ex eo enim quod opera Virgilii, Horatii & Ciceronis ferius catalogo librorum inserta sint, non sequitur, eos non prius ab iisdem Authoribus fuisse conscriptos.

§. IV.

Aliud Increduli expeditur Dubium.

Sancti Patres primorum Sæculorum prorsus nullum de Autographia Evangeliorum testimonium ferunt; Etenim si de Doctrina & vita Christi textus referunt, nec ullum Authoris citant compellantque nomen, igitur vel ex aliis libris, vel ex traditione tantum Divina oracula habuisse potuerunt. Verum equidem est, primos Ecclesiæ Patres textus, quin librum aut Nomen referant, suis immiscere sermonibus & scriptis; sed & idem fecerunt, cum Veteris Testamenti Libros & Prophetarum oracula citant; Licetne autem propterea inferre, ergo nec Moyse, nec Isaie Autographa sunt, ex quibus textus relati a Patribus deprompti fuerunt. Titulum Possessionis habebant Patres, ut id, quod referrent, Divinum crederetur Oraculum, licet quisnam literis consignarit, tacuerint. Necdum etenim erant frivoli homines, qui sacros Libros supposititios fingerent, & objicerent, nec tam immunctæ
paris

naris erant Critici, qui allata Evangelistarum testimonia in dubium vocarent, aut eorum Authoritatem & fidem impugnarent. Diximus jam supra, Eusebio teste Papiam & Polycarpum Matthæi & Marci (& quis dubitat de Evangelio S. Joannis, quorum discipuli erant?) Autographa ad manus habuisse, laudasse & ut Authentica recognovisse; Quid igitur, si Papias hæc sacra Evangelia supposuisset, quid, inquam, Christiani ad hanc suppositionem & fraudem dixissent? Christiani qui sacrorum Librorum adeo æmuli fuere, (a) ut eos Traditores compellarent, & e communitate excluderent, qui sacrorum Librorum copiam profanis communicassent, hi, inquam, Christiani alios, quos minime novissent, sibi supponi, patienter tulissent? Credit, qui possit.



CAPUT OCTAVUM DE LIBRORUM NOVI TESTA- MENTI VERITATE.

Si res atque Doctrina, quas Libri Novi Testamenti enarrant, veritati respondent, & si in ipsis enarrata veritas nullis conspurcata est additionibus

aut subtractionibus, & in primitivo candore & puritate ad nos usque pervenerunt, Libros talia recensentes veros adferere minime ambigere possumus. Talem autem Librorum Novi Testamenti conditionem & qualitatem esse, modo demonstratum ibimus.

SECTIO PRIMA

LIBRI NOVI TESTAMENTI NON- NISI VERA CONTINENT.

§. I.

Apostoli de iis, quæ referunt, plenissime informati fuere.

Si Apostoli veritati difformia aut decepti scripsissent, aut scribere voluissent, aut potuissent, de eorum veritate dubium quoddam suboriri posset, verum fateri fas est, neque decipi potuerunt, neque decipere voluerunt, neque si voluissent, potuissent, neque ea, quæ literis consignarunt, unquam corrupta aut depravata sunt; Credo, hoc concatenatum Demonstrationis genus incredulos prorsus convincere debere; igitur distinctis §§. hoc ineluctabile proponimus argumentum.

§. II.

§. II.

Authores Librorum N. T. non sunt decepti.

I. **S**criptores Librorum N. T. de iis, quæ literis consignarunt, erant plenissime informati. Quidam enim ea propriis viderunt oculis, & auribus audierunt, ut erant Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus, & Judas, fideles Jesu Christi Apostoli, qui inseparabiles ejus fuerant comites. *Quod fuit ab initio, ait S. Joannes, (a) quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt . . . & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis.* Ceteri vero Paulus, Lucas & Marcus fuerunt, nisi discipuli Jesu Christi, tamen ejusdem Apostolorum, qui id, quod in scriptis reliquerunt, ab oculatis testibus fideliter, & sedulo acceperunt, *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine scribere;* sunt verba S. Lucæ, (b) qui fuit Discipulus Apostoli Pauli, qui & ejus Evangelium, ut supra diximus, suum compellare solebat; ipse vero Apostolus ait: (c) *Notum vobis facio fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Contulit autem & Evangelium suum (d) cum Evangeliiis Apostolorum

Z 5

lorum

(a) I. Joan. I. 1. 2. (b) S. Luc. C. I. 2. 3. (c) Ad Gal. I. 11. 12. (d) Ad Gal. II. 2.

lorum, ut plenissimam concordiam & conformitatem deprehenderet in cunctis. Et S. Marcus fuit fidelissimus S. Petri Discipulus & interpres, qui quidquid scribebat ex ore Apostolorum Principis acceperat, quæ & adeo cum Evangelio S. Matthæi concordant, ut fidelis ipsius compendiator videatur. Erant igitur sacri Scriptores isti de omnibus plenissime informati, eo quod solum scripserant illud, quod aut oculis viderunt & auribus perceperunt, aut quod alii viderant & audiverant, acceperunt.

II. Aut forsan dicemus, ipsos, qui oculis viderunt & auribus audiverunt, delusos atque deceptos fuisse? aut mente captum, aut sensibus destitutum esse oportet, ut ille credat se oculis videre panes multiplicatos, cæcos illuminatos, infirmos sanatos, mortuos resuscitados, quos tamen nec vidit, nec audivit. Fingamus Apostolos utrum rudes & idiotas, simplices & inexpertes, tamen ipsis credere nolle, quod per dies quadraginta cum Magistro a mortuis suscitato conversati & locuti cum ipso fuerint, ipsum viderint & audierint, cum ipso manducaverint, ipsum cælos ascendisse conspexerint, Spiritum S. de cælo delapsum agnoverint, omnes linguas locuti fuerint, ægros sanaverint, & quæ sunt alia, quæ nobis enarrant hujus generis facta, sensuum testimoniis comprobata rejicere velle, omnem penitus Historicam fidem exuisse, & in phrenesin prolapsam esse oportet.

§. III.

§. III.

Scriptores N. T. decipere noluerunt.

I. **C**onsideremus, & attento oculo & animo eorum perstringamus testimonia & opera, & cum admiratione in Scriptoribus istis omnes deprehendemus Characteres, qui plenissimam merentur fidem. Conspicimus in ipsis simplicitatem, candorem, animum ingenuum, modestiam, humilitatem, bonorum omnium contemptores, & spiritus a superbiæ & ambitionis typho remotissimos. Non dissimulant proprios nec fratrum defectus, Nativitatis & opificii referunt vilitatem, ignorantiam & ruditatis describunt referuntque ignominiam, sicut recensent miraculorum magnitudinem & gloriam; Magistri propalant invectivas & exprobrationes, sicut solatia, vaticinia, & laudes ipsis collata. Si perscrutamur styllum, est simplicissimus & candidissimus, hic nulli eloquentiæ flores, nulla Scriptorum artificia, ut imminuant illud, quod ipsis in contumeliam, aut elevent aliud, quod in eorum laudem & encomia cedere possit. Hic nullæ super Prodigia Magistri & exclamationes & præconia, nulli planctus & querelæ in tristissima & crudelissima ipsius passionis & mortis Historia. Etiam communes Scriptorum negligunt ornatus; Res sublimissimas verbis describunt accommodis & familiaribus; & non aliud ipsorum studium, nisi ut cuncta, prout contigerunt, enarrant, & circumstantias locorum, temporum & personarum

narum fidissime exprimant. Exprimunt autem civitates, castella, pagos & villas, annum, mensem & diem factorum; neque ullum nisi suum producant testimonium: Hic nulla passio aut partialitas, sed ubique bona fides. Veritatis amor, conscientia & persuasio intima eorum quæ dicant, elucet.

II. Fingamus, ipsos decipere velle; qualis igitur nobis fingimus impostores? Profecto spiritus sagaces, ingenia vafra, homines callidos & astutos, experientia & dexteritate famosus, qui projectum tam vastum, qualis est orbis universi deceptio & persuasio, urgere & perficere possint. Verum & finem, qui moveat fibras & rotas, fingere necesse est. Pensitemus utrumque. Quinam erant Scriptores? Homines simplices, ignorantes & Idiotæ, sine literis & experientia, sine mediis & opibus; verbo sine talentis & ingeniis, qui conspirationem tantæ molis concipere conflare & exequi possent. Formaverint igitur sibi, quemcunque voluerint finem, defectus mediorum Finis executionem & consecutionem prorsus impossibilem reddat, necesse est.

III. Quis autem fuerit Apostolorum finis, facta & dicta publicare mundo, quæ nunquam evenerunt aut dicta fuerunt? Fors sperabant & promittebant sibi famam & gloriam, admirationem & adfensum, honores & opes, divitias & vitæ commoda, dignitates & fastigia, aut quid alterum utilitatis terrenæ, quæ hominum animos ad ardua ducit? Sed rei naturam
specu-

speculantes quid poterant expectare nisi contemptum, risum, insultus, opprobria, odium & indignationem omnium, miseras & mala universa. Sed fingamus ad momentum miseros hos adeo mente fuisse captos, ut ex impostura sua sibi quid utilitatis adpromitterent; Nonne tunc, cum se vidissent delusos, & bonorum ac utilitatis loco, quæ speraverant, sese fame, siti, nuditate, exilio, miseriis, omniumque malorum & tormentorum genere ad mortem usque cruciatis & afflicto, ad sanam debuissent redire mentem, & a malefana & periculis & morte plena desistere impostura? Verum longe aliter procedunt, quæ semel prædicarunt & annuntiarunt, prædicant & annuntiant in vinculis, in carceribus, in equuleis, in rogis, in cruce & morte, quin contradicant, quin mutent linguas & Oracula.

IV. Dicemus forse, fama & gloria, Religionem fundasse superiorem omnibus, debellasse & extirpasse cultum Deorum ubique regnantem, & in eorum ruinis & ruderibus inædificasse novam, & universam mundi faciem commutasse in novam; hæc inquam famæ & gloriæ ambitio ipsos ad profusionem vitæ & sanguinis instigavit? Fingamus, mea pace, hos miseros piscatores tanti moliminis fuisse capaces, undenam ipsis executionis futuræ spes ulla fulgebat? duodecim Hebræi ex plebis abjectissima face, sine literis atque doctrinis quid simile conceperint, & exequi posse sperarint? Hæc plebs minutissima & a cunctis derisa præfixerit sibi, Legem Mosaicam tot sæculis in Judæa & Palæstina
tanto

tanto Zelo servatam abolere, Deorum cultum eorumque fana & Aras Alexandriæ, Antiochiæ, Romæ, in Oriente & Occidente, imo in mundo universo evertere, destruere & eliminare? Mundum vero universum eo sine eloquentia & artibus adducere, ut Deorum loco adoret hominem in infami crucis patibulo occisum, qui adoratoribus suis nil nisi cruces & patibula, persecutiones & tormenta, exilia & despectus promittit, & doctrinam tenendam & exequendam incuteret, quæ subjugat passiones, naturales evertit inclinationes, eradicat appetitus, condemnat vitia, & solum præscribit virtutem? Fingamus casum, in nostras terras duodecim venire homines, omni, quæ fidem & respectum conciliare posset, destitutos ope & opere, & nobis inculcare velle, se vidisse hominem inter latrones crucifixum & mortuum; sed resurrexisse die tertia, conscendisse cælos, & venturum esse judicem universi; hunc hominem verum & solum esse Deum, & qui non crederet in ipsum, æternum esse periturum. Quid videtur vobis? Abjurabimus fidem connatam, & adorabimus ad testimonium horum exterorum hominem crucifixum & mortuum? Et tamen hoc Apostolorum est factum; Talem sibi, si fuissent impostores, præfigere debuissent successum, & successisse quis ratione præditus credat? Successit tamen, credidit mundus universus, connatas abjuravit opiniones, contra spem omnem & expectationem, contra propria & corporis & animi commoda & blanditias eam amplexus est Doctrinam, ea credidit Facta, eumque, quem ipsi præ-

prædicarunt, hominem crucifixum adorarunt Deum, & usque modo adorant, quæ inde sequela? Justissima & evidens, mundum universum de eorum, quæ judicarunt & scripserunt, veritate fuisse convictum atque persuasum, ergo nonnisi, quæ vera sunt scripserunt, & nullatenus decipere voluisse.

§. IV.

Scriptores N. T. si decipere voluissent, neque potuissent.

I. Scripserunt & annuntiarunt facta & doctrinas momenti summi, de quorum veritate aut falsitate publice constare, mundi intererat universi. Scribebant etenim & prædicabant facta ceu cunctis nota, publica, notoria, & manifesta, de quibus, si falsa fuissent, debuissent a multitudine Personarum circumstantiis factorum implicata mendacii argui atque convinci. Citarunt testes oculos, sanatos & beneficiis cumulos; prodixerunt Deicidii reos Sacerdotes, Scribas & Legis Doctores, Præsides, Judæos, Milites & Duces, satellites & ministros; exprobrant ipsis duritiam cordis, astutias & Hypocrises, injustitiam & crudelitatem, qui omnes, si hæc omnia, prout enarrarunt, non contigissent, ipsos ceu mendaces & impostores increpassent & multassent. Quæ prædicabant, hæc scribebant, & nemo erat qui contradiceret, & quidem eo tempore, cum gens incredula Hebræorum

eos quæreret ad neces & mortes, quin tamen eos, aut falsa scribere aut falsa prædicare unquam obijcere præsumpissent. Scribebat unus post alterum, non in eodem tempore & loco, attamen quoad facta & doctrinas adeo erant conformes, ut unum alterum copiasse diceres, nisi in circumstantiis & in factorum serie eos quandoque reperires variantes, ea tamen catena & ordine, ut veritas unius contestetur & inferat veritatem, alterius; quod prædicabant, hoc scriptura legebatur publice in Synagogis vel potius Ecclesiis, audientibus Judæis & Paganis, quin vel ullus contradiceret, aut factum negaret. Hæc igitur in eorum scriptis relata vel sunt vera vel falsa? Hic medium non datur. Si vera, finita lis est, & victoria nostræ; Si falsa, qui ergo Apostoli similia poterant imponere sibi, aliisque? Dicant, quomodo credere poterant, aliosque convincere, sese miracula patrare, ejicere Dæmones ex obsessis, curare infirmos, suscitare mortuos, restituere oculis visum, furdis auditum, loquelam mutis, gressum claudis & Paralyticis, & omnium gentium loqui linguas? Hæc omnia autem fecisse, scribunt, & in testes vocabant tot millia hominum tunc viventium atque videntium, & nemo eorum, si fabula aut impostura fuisset, obstitisset, & mendaces pronuntiaisset, quod ipsos in mendacii testes vocarent? Aut quomodo testes compellati, se talia vidisse, aut videre, sive affirmando, sive tacendo, adfirmarent, si nunquam talia vidissent aut experti fuissent? Delirium tale, delirium adeo universale quis prudentum possibile dicet?

II.

II. Sed ultra progrediamur, dixerunt & scripserunt Apostoli, quod illi, qui crederent in Jesum Christum, & sanctam ejus amplecterentur doctrinam, paria prodigia & miracula sint patraturi; & talia patrassent Apostolorum Discipulos; Authentica referunt Acta. Nunc dicant increduli, an veritatem dictorum & Scriptorum novelli compererint Christiani, nec ne; si compererant, ergo Apostoli vera scripserunt, si non, quare non contradixerunt, quare Impostores non confuderunt? Quare in Actis publicis & Notoriis se ipsos similia fecisse testantur, aut quare illi, in quibus ea patrassent gloriati fuerunt, novæ imposturæ non contradixerunt? aut pauperes Piscatores mundum fascinarint universum? Novi, & legi maniam Abderitarum, qui incredibili agitabantur delirio, sed pariter novi ipsos urbis mœnia non excessisse, maniam hyeme subsequente quievissent, maniacos vero nonnisi quasdam tragœdias stulto delirio recitasse; non curabant infirmos, non suscitabant mortuos, non ambulabant super aquas, non restituebant cæcis visum, furdis auditum, pedem claudis, & linguam mutis, nec ipsi omnes loquebantur linguas. Verum hæc omnia non solum Apostoli & Librorum N. T. Scriptores, sed & omnes viri Christiani in omni tempore in omni loco & natione patrabant, quin honorum oblatores munerum, quin cunctorum tormentorum mala eos potuerint sanare. Quæ ergo, ut quibusdam incredulis placeat, hæc incredibilis generis humani infirmitas, & mania?

A 2

mania?

mania? Aut falsitatis omnia convincant, aut taceant, & dicant: *Digitus Dei est hic, & veritas æterna.*

III. Quoque alteram Reflexionem adjiciamus: Persequuntur Hebræi, Pagani & increduli Apostolos; Atque Scriptores, sed quare? Edifferent increduli, quia mendacia & imposturas scripserunt, & falsa miracula finxerunt? Minime. Non super miracula, non super doctrinas Processus instituerunt, ut eos imposturæ aut mendacii convincerent; hoc si potuissent, Christianismum funditus evertissent; sed de miraculis eorumque veritate penitus persuasi, talia nunquam tentarunt; Sed ut Jesu Christo renuntiarent, Deos & Idola adorarent, igne & ense in eos debachati fuerunt. Non ut impostores, sed ut Legibus imperii rebelles, & Deorum osores, quorum cultum destruerent, eos tormentis & morte affecerunt; non ut veritatis confessionem & imposturam elicerent, aut extorquerent, sed ut eos eeu gentem novam Diis exosam tollerent, enses & rotas in eos volverunt. Igitur Apostoli & Scriptores sacri, quoque si decipere voluissent, non potuissent, & eorum facta & dicta in Evangeliiis & Epistolis suis relata veritati conformia fuere.

§. V.

§. V.

Scriptorum N. T. Libri nunquam fuere corrupti aut depravati.

I. *H*oc est postremum Incredulorum effugium, ut cum Librorum veritati ultra cum decore obstrepere non possent, eos corruptos atque depravatos ad nos pervenisse somniarent. Dicant igitur nobis, si placet, quo anno, in quem finem, quo modo corrupti fuerint, & quinam corruptionis fuerint Authores? Hoc si præstiterint, victas dabimus manus. Epocha corruptionis definiri non potest; Nam neque in Apostolorum ætate, neque eam immediate sequenti minus longius remota contingi hæc potuit. Si Apostoli, dum fidem prædicarent, & Evangelia conscriberent, corruptiones aut Doctrinarum aut Librorum reperiissent, nonne monuissent, reprehendissent & correxissent, cum continuo Ecclesias a se fundatas inviserent, & in doctrina ac fide probarent. *Sunt aliqui, ait Apostolus, (a) qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi, sed licet nos, aut Angelus de celo evangelizet vobis, præterquam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Non minus zelosi aut segnes fuere. Ceteros Apostolos atque Scriptores ætate sua corruptionem fecisse credamus? Absit, etiam fideles ipsi, qui tanto in Apostolos amore & reverentia ferebantur, si quid corruptum legissent, contra depravatores insurrexissent.

A a 2

(a) Ad Galat. I. 8.

rexissent. Neque tempore Apostolis vicino quispiam corruptionem attentare potuisset, cum eorum, eorumque doctrinæ ac prædicationis memoria recens, & exemplaria, quæ in plurimorum manibus versabantur, & in publico & in privato legebantur, & in Ecclesiis adservabantur, mox corruptorem conclamassent & confudissent. Pariter nec in remotioribus ab Apostolis temporibus talis corruptio contingere potuit; etenim Librorum sacrorum copix, etiam in linguas vulgares traductæ, per omnes terræ partes sparsæ fuerunt; quodsi igitur vel unus corruptionem aut textus immutationem præsumpsisset, mox ceteri, qui continuo sacros libros consultabant, fraudem detexissent & repressissent. Et qua ratione hæc corruptio in temporibus posterioribus possibilis fuisset; cum nos eosdem Librorum textus in Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum Apostolis viciniorum iisdem verbis legamus expressos? quodsi igitur eos corrumpere quispiam ausus fuisset, etiam omnium Patrum & Scriptorum libros & quidem in omnibus terræ partibus depravare debuisset, quis impossibilitatem facti non sentit?

II. Quis autem corruptionis factæ fuisset finis; nam sine fine, quoque impostorem agere, nemo prudentum dicet. Fors dogmatum impenetrabilitatem dilucidare, aut eam magis obscuram reddere, aut præceptorum austeritatem mitigare, aut difficiliorem graviolemque reddere voluit? In neutro potuisset finem obtinere; five etenim dogmata clariora, five præcepta dulciora

dulciora proponere voluisset, necessario priora tollere, & nova substituere debuisset; sed hoc factum non esse, ipsa dogmatum impenetrabilitas, & præceptorum rigor ostendit. Si autem dogmata obscurare, & præceptorum rigorem augere voluisset, omnium animos abalienasset, & fraudem prodidisset, cum omnium manibus sacra Evangelia tererentur.

III. Quænam autem corruptionis materia fuisset? Facta minora, & doctrinæ levioris momenti? Quid ista nocumenta nobis, quid emolumenti corruptoribus attulissent, cum facta & præcepta majora & essentialia intacta fuissent, quæ Religionis Christianæ veritatem comprobarent? Fors majora & essentialia corruperit impostor? Verum hoc prorsus impossibile esse, quilibet palpabit manibus; Nam tot exemplaria per mundum fuerant sparsa, custodiebantur in Ecclesiis, legebantur in pulpitis & domibus, ut impossibile fuisset, omnia corrumpere & depravare; Si autem unum alterumve corruptum fuisset, ergone ceteri tacuissent, suosque sacros codices immutassent? Sane non; Quid ergo utilitatis inde evenisset, cum codices incorrupti corruptores prodidissent, & confudissent? Quid autem nocumenti, cum Essentialia Religionis Christianæ dogmata & Præcepta, Nativitas, Mors, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus S., Miracula, Prophetiæ, & Evangelicæ Doctrinæ per mundum universum adeo erant tradita & annuntiata; ut si textus corruptus ea aut tacuisset aut sustulisset, ex fidelium animis tolli nunquam

quam potuissent, sed corruptoris audacia & temeritas ubique vapulasset.

IV. Quis denique corruptionis fuisset Author? Aut Pagani? aut Judæi, aut Christiani? videamus. Si Pagani corrumpere voluissent, certe non potuissent. Etenim omnia sacrorum Librorum Exemplaria per orbem dispersa debuissent ad manus habere; Sed qui fingi hoc potest, cum Christiani potius mortem, quam Librorum erectionem paterentur, & illos ceu traditores rejicerent & ejicerent, qui vel solum Religionis mysteria & sacras paginas revelarent. Sed ponamus, Paganos omnes ad manus habuisse codices, eosque corrupisse & depravasse; estne autem credibile; ipsos omnes Divinitatis Jesu Christi characteres, Prophetias, miracula, præceptorum sublimium moralitatem, ceteraque cultus Divini Idolorum & Deorum pluralitatem præscribentis dogmata intacta reliquisse? Quid igitur corruptores, si Pagani fuissent, inde utilitatis habuissent? Arma dedissent Christianis; cum etenim continuo hos libros Christianis opponerent, & deinde eorum Religionem concutere tentarent, non robore & argumento fortiori ipsos Paganos his Libros confutassent, quam si ipsis objecissent, ecce vos estis, qui tales libros scripsistis, qui hæc miracula, Prophetias, talemque præceptorum moralium Divinitatem confessi fuistis; igitur & vestro ipso testimoniis Sancti & Divini nostri sunt libri, nostraque Religio his libris contenta? Certe non gloriosior contra Paganos victoria esset, Iisdem sequelis evinci

evinci poterit, neque ipsos Hebræos fuisse horum Librorum corruptores. Si etenim corruptionibus suis tam splendida de Jesu Christo, ejus vita, morte, Resurrectione, & in cælos ascensione, Prophetiis, & miraculis testimonia dederunt, aut in codicibus intacta reliquerunt, sibi ipsis jugulum intruserunt. Quis autem prudentium persuadeat sibi, Judæos sacrorum Librorum Codicum corruptores ea his libris aut inseruisse, aut inserta reliquisse, quæ eorum cæcitatem, perfidiam, & impietatem tam acerbis perstringunt invectivis? Non eraserint miracula, quæ ipsos confundunt? non sustulerint prophetias, quæ ipsorum prænantabant ruinam? non suppresserint impropria, quæ eorum duritiam & perfidiam exprobant? neque Probas illas tacuerint, quæ ipsos Deicidii reos declarant, & legem & cultum & ritus Mosaicos abrogant, & inania ac vacua pronuntiant elementa? Credat, qui possit.

V. Christianos igitur oportet fuisse corruptores. Sed & si quidam voluissent, eos corrumpere non potuissent. Mox enim unus contra omnes, & omnes contra unum adfurrexissent, quia non minor apud primitivos Religionis Christianæ Discipulos fuit vigilantia, custodia & Reverentia erga sacros codices, quam ea olim laudatur apud Hebræos. Non pauciores fuere Sacerdotes atque Doctores, qui sacros codices in publicis conventibus atque Ecclesiis textuum puritatem illibatam servare, & populo interpretari & exponere studuerunt; & hi otioso oculo corruptiones tollerarint, & genuinas

Apocryphis non opposuerint? Et ponamus, possibile fuisse, & hoc nunquam Pagani aut Hebræi Christianis simile attentatum in faciem expronaverint? Qui talia fingit, sane ipsum in primæ Ecclesiæ Historiis jejunum esse oportet. Ignorare debet Concilia Generalia, Provincialia & particularia, in quibus Ecclesia omnes, eorumque Sacerdotes & Legati Ecclesiarum suarum sacros Codices & sacrata fidei deposita exhibere, fideique suæ rationem reddere, & ejusdem uniformitate sacræ Religionis sicut dogmata ita præcepta firmare debebant, Librorum puritati & integritati invigilasse, & minime non dico textuum corruptionem & depravationem, sed & variantem interpretationem & expositionem vetuisse, rejecisse & condemnasse. Ignorare debet, vigilem Ecclesiam falsa Evangelia, falsa Acta, falsasque Epistolas Apostolis imposita ceu Apocrypha proscripsisse; Ignorare debet, quanto Zelo & rigore processerit contra sectarios & falsarios, qui textus puritatem invertere, ipsis sensum depravatum & sacræ traditioni adversantem adfingere adnisi fuere. Ignorare debet, eos ab Ecclesia anathemate fuisse confixos, eorum corruptos Codices fuisse rogo & igni datos, eorumque Authores a communione fuisse recisos. Hæc autem si noverit, noverit quoque eam fuisse inalterabilem Ecclesiæ sollicitudinem, ut sacrum Depositum Verborum Jesu Christi a Scriptoribus sacris literis, consignatorum sartum textum, illibatum & intemeratum servaretur. Apostoli, sacrique Scriptores, ut diximus, erant plenissime informati, erant sinceri & fideles, decipere nec volebant, nec si

voluif-

voluissent, potuissent; igitur verissima sunt ipsorum scripta; corrumpi non poterant nec a Paganis, nec ab Hebræis, nec ab ipsis Christianis perverfis, igitur ad manus nostras incorrupti, integri & illibati pervenerunt; quid superest, nisi ut dicamus, sacros N. T. Libros, qui ad manus nostras pervenerunt esse purissimum & verissimum Dei verbum, præcipue ut in capite sequenti audiemus, cum in scribendo Divino erant afflati spiritu, ejusque infallibili assistentia ducti.

SECTIO SECUNDA.

INCREDULORUM SOLVUNTUR

OBJECTA.

§. I.

Authoris Christianismi de velati refutantur Calumniæ.

- I. *S*olumus infamibus Bolingbrockii & Evremondi in sacros Scriptores evomitis calumniis immorari, non enim feriunt, in quem conspiciuntur, sed eos, qui tam plebeja sarcasinata evomere non erubescunt; etenim vel solum honestas offendunt aures. (a) Sed eos vocare *ambitiosos, & impostores,*

A a 5

(a) Bolingbrock. Exam. import. C. IX. vocat Apostolos sæcem plebis (canaille) Energumenos, imprudentes cet.

postores, ut ait *Christianismi develati* Author, (a) hoc incautos posset reddere attentos. Dicant igitur, unde ambitionis suspicionem in paupere piscatorum turba inferre velint? Est vis ingens attractiva hominis, sectæ novæ fieri caput, & in mundo se reddere famosum; Authoritatem, famam & gloriam captare: His, inquit citatus Author, Apostoli animabantur motivis, ut novam prædicarent & scriberent legem. Quæ autem Dialectica est ista? Verum dicit, in animo depravato & vitioso hæc motiva plurimum posse, sed omnes ad grandia facta accinctos his moveri & regi rotis, qui dicit, humanitatem lædit & offendit. Ingens vis attractiva sunt voluptates carnis; quis sapientum nunc inferet, ergo Numa Pompilius, (b) dum Vestalium fundaret cœtum, Lupanaria sibi exstruere intendebat? Sed sectæ capitis Authoritatem obtinere velle, nonnisi congruis licet uti mediis. Et quænam sunt illa? Hoc proprie incredulos decernere fas est. Ni fallor hæc eorum præscribit Philosophia: Blandiri passionibus, delectare sensus, fovere cupiditates, libertatem concedere, remove timores atque dolores, suffocare remorsus, adpromittere commoda & voluptates. Hæc-cine Apostolorum remedia? Prædicare passionum & sensuum mortificationem, divitiarum & honorum contemptum, inimicorum amorem, subjectionem Tyrannis & Discolis, timorem gehennæ, rigorem Judicis, vitæ innocentiam & puritatem. Epicurus multos numerabat discipulos, paucos Socrates, quia prior vo-

lupta-

(a) *Christianisme dévoilé* p. 3. (b) *Plutarchus in Numæ*

luptatem, posterior virtutem suadebat & inculcabat. Viderant Apostoli Magistrum in cruce exspirantem; quia id, quod ipsos docuit, Evangelium prædicabat, & ipsi inde Authoritatem, honores, divitias, famam & mundi gloriam sperarent? Viderant se propter Evangelium Jesu Christi jam Hierosolymis despectos & exosos, carceri inclusos, & virgis cæfos; viderant modo hunc modo illum e sacro collegio suo ad tormenta & necem rapi; & ipsi sperent honores & glorias? Qui talem laborum suorum sentit & experitur finem, & tamen ambitionis inflatur spiritu, non hominem sanum sed stolidum dicerem. Alius igitur, quam ambitio, Apostolorum finis fuerit, necesse est.

II. Par est calumnia sacros Scriptores fuisse Im-postores. Non repeto, quæ de eorum candore & sinceritate, veritate & præcisione jam dixi. Sed incredulos quæro: Quæ ergo scripsere facta? Fateor, quæ prorsus concordant cum veteri lege ejusque Prophetiis; concordant cum iis, quæ scripsit Philo, Josephus, Trebellius, Suetonius, Phlegon, Macrobius, alique tum Pagani tum Judæi Scriptores. Quare illos, quare non istos calumniantur impostores? Sed ait Examini Author, quare Resurrectionem Magistri, quam scribebant & prædicabant, nonnisi post ascensionem & Pentecosten divulgabant? Dum viveret adhuc in terris, dicere & scribere debuissent, monstrando digito: *Ecce hic est, quam crucifixistis. Resurrexit, & vivus hic adest.* Quibus igitur, respondeat Author, quibus hoc aut

dicere

dicere aut scribere debuissent? Custodibus sepulchri? Sed hic viderunt, & primum nuntium Sacerdotum Synedrio tulerunt: Forfan Synagogæ? Sed hæc ipsa est, quæ pecuniam copiosam dedit Militibus, dicens: *Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus; Etsi hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.* Cui ergo? populo? Nonne decimo post ascensum die Apostoli ejus Resurrectionem universo prædicabant populo, ejusque mortem, & custodum corruptionem objiciebant publice? Quare non assurgit Synagoga? quare non in medium procedunt Sacerdotes est Pharisei, ut Apostolos, si sunt Impostores, mendacii arguerent, & convincerent imposturam? Quid interea populus? Post duas conciones publicas octo millia hominum convertuntur ad fidem Jesu Christi; Et quid Synagoga? pudibunda tacet, & quid opponat, non habet, non invenit. Nec ullum Judaicæ gentis Scriptorem, neque ullum Gentilem quandam memoriam reliquisse, quod unus alterve e Synagoga Petri aliorumque Apostolorum testimonio veritatis exceptionem, aut imposturæ suspicionem non objecerit, tam evidens est veracitatis Scriptorum argumentum, ut, quod ultra rigorosissimus Criticus desideret, non habeatur. Et recte ait doctissimus Ditton, (a) si Jesus Christus a mortuis resurgens apparuisset omnibus tunc viventibus in terra, tamen hodierni reponerent increduli, (b) *impostura aut Fanatismus*

(a) Ditton la Religion Chret. demonstrée par la Resurrection. de N. J. C. (b) Militaire Philos. C. XI.

tismus fuit; quia nos, qui modo vivimus, non vidimus, non tetigimus. Quis etenim novit, ajunt cum Celso, an non miracula a Scriptoribus in Evangeliiis relata jocularia manu ad plebem decipiendam exercita fuerint? Quis novit, ajunt alii cum Porphyrio & Juliano, an non magicis fuerint patrata artibus? Quis novit ajunt alii, an non primitivi Christiani Miraculorum strepitu & novitate Doctrinæ fascinati Abderitarum morbo (h. e. Fanatismo) correpti crediderint, se ea videre, aut vidisse, quæ ipsorum animis & memoriæ viva voce, vivisque coloribus imprimebantur. Si etenim fanatici cives recitabant Andromedæ & Euripidis Tragœdias, quare fanatici Christiani non recitarint Evangelii folia? Quis non rideat, Philosophos talem adustam recoquere Crambem. Rident circulatoriam artem, quam non humana adipiscitur sagacia. Derident magiam ceu plebis Idiotæ terrorem; Et nunc, cum de Evangeliiis Jesu Christi octodecim sæculis comprobatis fit sermo, ad febrilem Abderitarum Enthusiasmum & Spasnum, ad artes jacularias & magias recurrere non pudet? Ergo fanaticus hic morbus per integra octodecim duraverit sæcula, cum ille Abderitarum furor hyberno frigore sanatus fuit? Apage cum ebribus, jocis & Magiis.

§. II.

Roussôji excutitur scrupulus.

Non est Historia tot firmata testimoniis, ac illa Vampirorum. Nil, quod pro ejus veritate desiderari possit, deest. Sunt processus verbales, legales & juridici; Sunt attestata Notariorum, Medicorum, Chyrurgorum, Parochorum, Magistratum, cet. Et tamen quis credit Historiam Vampirorum? Aut ideo, quia non credimus, ad æterna damnabimur supplicia? Sint igitur Evangelia alique sacrorum Scriptorum Libri immensis firmati testimoniis, quid inde fidei aut Authoritatis ipsis accedere poterit? Verum quæ inter Vampirorum Historiam & sacra Evangelia comparatio? Mundus novit universus, sacra nostra Evangelia non in uno mundi angulo, sed per orbem universum omni atate, ubique locorum ab uno extremo ad alterum fuisse prædicata, lecta, discussa & examinata, Ecclesiæ omnes & unitæ & schismaticæ ea approbarunt ut Divina atque viridica; Illi, qui prædicarunt, miraculis firmarunt, & veritatem morte & sanguine obfignarunt. Ut alia veritatis signa & Characteres præteream. Nunc dicat nobis mirabilis iste Philosophus, in quibus Conciliis aut conventibus sive Generalibus sive particularibus mundi Christiani discussa, examinata & adprobata fuit Vampirorum Historia? Vel unicum in Germania vel in Gallia talem nobis producat Conventum? Quis veritatem ipsis prædicavit, miraculis firmavit,

mavit, profuso sanguine & vita munivit? Quis assensu suo publice præstito eam roboravit? Nemo sane. Quæ igitur Comparatio? Sed instat Philosophus iste; Quæ potest miraculis, infirmitatem Librorum, tribui fides, cum & Pagani suis glorientur miraculis, quin fidem tribuamus. Quænam inter Christianorum & Paganorum miracula immensa sit differentia, alibi fusius demonstravimus; aliud igitur non reponimus, nisi quod illa Paganorum quoque ab iis, quorum ea probare intererat, fuerint reprobata. Ea deridet Titus Livius, cum referret; Polybius ait, nec ullam habere certitudinem, nec ullum, cui credi posset, fidejussorem. Pausanias & Athenæus ea publice arguunt mendacii & imposturæ. Et mirabitur Rousseau, nos illis nullam tribuere fidem? Sed, dixi de his alibi satis.

§. III.

Voltairei expenditur argumentum.

Credunt Turcæ, ait Mahumedis & Mahumedanorum insignis defensor Voltaire, credunt universali & immemoriali Traditione instructi & provisi, extitisse Mahumedem Prophetam, Religionem, quam profitentur, fundasse & prædicasse, & ipsis Librum Legum Coranum scriptum dedisse, & reliquisse; Quis autem inde concludit, ergo Alcoranus nonnisi vera continet atque recenset? Talis autem & non alia est Christianorum de Librorum suorum veritate probatio,

scilicet


scil. universalis & immemorialis Traditio, quæ autem & veritati & mendacio communis esse, & dici potest. Miror, Philosophum extra statum controversiæ, ut simplicitati faciat fucum, tam ridicule evagari. Cum ex traditione universali & immemorabili certitudinem, integritatem & veritatem Librorum N. T. (notet sibi, Librorum dicimus, non contentorum) probamus, non inde directe dogmatum & præceptorum Evangelicorum veritatem probare intendimus & contendimus. Probata semel sacrorum Librorum existentia, integritate & authenticitate, ad dogmatum veritatem & præceptorum sanctitatem non ex universali Traditione, sed ex ipsorum Divinitate probandam progredimur. Lubentes igitur Voltairio cedimus, Testimonium & Traditionem universalem & immemorabilem integri populi ad certitudinem & existentiam Fundatorum doctrinæ disseminatæ, & Librorum Scriptorum probandam, virtute pollere; Neque Christianorum quispiam convertere præsumpsit, Turcas cum fundamento & ratione credere, aut credere posse, extitisse Mahumedem, quem dicunt Prophetam; prædicasse Religionem, quam ipsi sectantur, & Coranum ipsis reliquisse? Sed hoc Christiani inficias eunt, inde inferri debere & posse, eorum Religionem & doctrinam esse veram atque Divinam. Admisso igitur ex parte Voltairii Argumento, certum, indubitatumque esse, ex Traditione universali, sacra Evangelia, Actus & Epistolas esse genuina & Authentica Apostolorum opera, non ex Traditione, ut supponit Philosophus, sed ex eo, quia aliunde no-

vimus.

vimus, sanctos Apostolos, quoad dogmata & præcepta, quoad Facta & Historias, quæ in suis genuinis referunt Libris nec decipi nec decipere potuisse; igitur ex certitudine & integritate Librorum suorum inferimus, veros atque Divinos ipsosmet esse Libros, quia referunt facta, dogmata & præcepta, quæ aliunde secuta ineluctabilem continent nexum cum iis, quæ certa infallibilia atque Divina sunt; Si enim aliunde probare posset Philosophus iste, Mahumedem fuisse Prophetam, hominem a Deo missum & inspiratum, ejusque dogmata & præcepta esse pura sancta atque Divina, pro Corani sui veritate ex Libri existentia probare quid posset. Verum mundo universo persuaso, Mahumedem fuisse Impostorem, ejus dogmata delira hominis esse inventa; & præcepta ipsius esse morum corruptelam, & spurcitas carnis & sanguinis, illa præterita Traditio; ut ut certa & universalis, nil roboris pro veritate probanda tenet & habet; Cum ex adverso ex sacris Evangelii ab Apostolis conscriptis eorumque Characteribus & consecutione inferimus, Religionem nostram non nisi Divinam esse.

§. IV.

Alia incredulorum discutuntur Objecta.

I.  x iis, ajunt increduli, quæ supersunt fragmenta, colligere licet, excellentia olim extitisse opera, quæ Apostolorum testimonia & Libros

B b

ad

ad imum usque confutarent atque convellerent, eorumque imposturas in apicum producerent; sed hæc fuit Christianorum astutia, similes Libros sibi suæque Doctrinæ adversantes, supprimendi, igne & flammis consumendi, & eorum quoque memoriam eradicandi; His igitur suppressis, & e medio sublatis, ut Apostolorum & Christianorum triumphant monumenta, necesse fuit. Sic est, ex ipsis fragmentis hinc inde in Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum Libris operum Hebræorum & Paganorum excellentiam dignoscere liquet; & cum non existant amplius, ex eorum effectu, velut ex ungue Leonem dimetiri licebit. Si tantæ fuissent excellentiæ, veritatis & ponderis, quare igitur non abstraxerunt mundum Gentilem, quin per orbem universum Christianam amplecteretur Religionem; quare non retinuerunt, quin immensa multitudo ad Martyria convolaret, & potius sanguinem & vitam perdere, quam Christianæ veritati renuntiare ambiret. Quod prætenfa hæc excellentia Gentilium & Hebræorum opera interierint, non Christianorum accidit culpa, sed temporum injuria; & Barbarorum incendia & profana & sacra destruxerunt & absumpserunt monumenta; Christianorum vero intererat, omni diligentia & cura ea servare, quæ ad Religionem probandam & stabilendam apta forent. Quare igitur non parem Gentes & Hebræi adhibuere operam, ut illos conservent Libros, queis Religionem & Evangelia nostra destrui & confundi posse, gloriantur increduli? Fors Christianorum intererat,

erat, & tangebatur, ut ea servarent & custodirent? Mirabile petitum!

II. Quid autem de vana Incredulorum jactantia dicam, qui operum deperditorum excellentia Evangeliorum Authoritatem & veritatem prorsus convellere posse garrunt. Quænam sunt hæc fragmenta, ex quibus operum excellentia argui queat? Certe non alia, quam illa, quæ in Patrum & Scriptorum libris dispersa reperiantur. Quis dubitat Patres excellentiam & difficultiora ex gentilium Operibus contra Christianos loca deprompsisse; Sed hæc ipsa sunt, quæ Patres confutaverunt, quorum Principia dissolverunt, & quorum systemata prorsus everterunt. Legant increduli immortalia opera Athenagoræ, Justinii contra Tryphonem, Originis contra Celsum, Tertulliani, Minutii Felicis, Arnobii, Lactantii, aliorumque, qui ob Genii, & Scriptionis excellentiam quoque apud Gentes in summo pretio habiti fuere, & convicti recedent. Estne autem Gentilium transcribere opera, eaque refutare, inaltiose ea suppressere? Sane, si Christianorum hæc mens fuisset & opinio, non ipsi ea in publico produxissent, sed æternis tenebris atque silentiis conspeliissent. Dica autem incredulus, qua ætate hæc prætenfa operum Gentilium Suppressio facta fuerit? Anne in primis Ecclesiæ sæculis, ubi ferre & igne compulsi fuere, ut in terræ specus & antra cum Libris suis sese reciperent? Neque Imperatores & Magistratus, si simile attentatum, ut in Christianorum Libris tentarunt, perficere non

potuissent, & pauperes Christiani ubique pressi & depressi hoc feliciter tentaverint; atque perfecerint? Quandonam igitur? Sæculis posterioribus? Ubi Religio Christiana altas egerat radices, & super inconcussa stetit fundamenta? Ad quid opera, quæ Religionem figere pedem, & agere radices, impedire non poterant; ad quid, inquam, ea supprimat opera, quæ quidem veritatis testimonium, ut tenebræ luci dare consueverunt, non autem veritatem stabilitam evertere possent; Non igitur quæsit supprimere & tollere, sed non nisi, in quantum incautos inficere, & venena inspergere possent, lectionem prohibere. Pellere Lupos, & oves a nocivo remove pabulo, Pastorem decet.

S. V.

Incredulorum contra Librorum integritatem objecta diluuntur.

I. **Q**uis, inquit, sibi persuadere queat, sacra Evangelia, sacrosque N. T. Libros integros & illibatos ad nostras usque manus pervenisse? Ubinam sunt Originalia, quæ hujus integritatis testimonium ferant? Copias habemus copiatas ab iis; quis autem ignorat, hanc copiarum esse sortem, ut tot diversis descriptæ pennis, versionibus, Editionibus, & Descriptionibus tandem primævum suum deperdant candorem? Hæc non alia fors Evangeliorum esse potuit. Cedemus importunis Criticis nostris, sacris tum Veteris

tum

tum Novi Testamenti Libris eandem, quæ ceteris obtigit, per Christianorum ignorantiam neglectum & inadvertentiam sortem obvenisse, ut aut apices, aut syllabæ aut voces fuerint omissæ, variatæ, mutilatæ, & aliæ substitutæ; Verum ipsum sacrum textum notabilem quampiam immutationem sive in Factis, sive in Dogmatibus, sive in præceptis passum esse, aut pati potuisse, prorsus impossibile pronuntiamus; ea etenim erat Christianorum eorumque Pastorum & Doctorum cura, Vigilantia, & attentio, ut si vel minimam in Factis, Dogmatibus, aut Præceptis, quæ viva Traditione, & Prædicatione continua inculcata fuerant, immutationem deprehendissent, mox ad primævum candorem & integritatem reducere & restituere non destitissent. Quidquid opponi hic potest, dubia sunt, suspiciones, conjecturæ & mera possibilitas sunt. Quid autem ex iis inferri licet? Id ipsum, quod Increduli ægre ferent, scilicet in toto mundo nec ullum genuinum, Authenticum & verum existere librum, sed omnes esse corruptos, depravatos & immutatos. Dicamus incredulis nostris, Opera Celsi, Luciani, Porphyrii, Epicuri, Herodoti, cet. falsi, corrupti & depravati sunt libri, quia tot manibus descripti fuere; clamant, protestantur, vanos hos esse timores, pro eorum candore publica tot sæculorum stat fides & Autoritas. Hoc igitur & sibi a nobis accipiant responsum, cum ea tamen differentia, quod certe Christianorum tanta fuerit cura, sacros suæ Religionis Libros in primæva integritate conservandi, quanta nec

B b 3

genti-

Gentilium, nec Christianorum, nec Sectariorum unquam fuit, præfatos Libros profanos ad apicem usque & syllabam puros & integros restituendi.

II. Sed, inquiunt, negari non potest, etiam in ipsis N. T. Libris, eorumque Exemplaribus immensam fuisse deprehensam varietatem verborum & textuum, quam viri docti multis laboribus & sumptibus literario orbi proposuere. Sic est, vidimus & legimus, quare dubitemus? Sed hoc est, quod adfirmamus, & constanter tenemus, in factis, dogmatibus & præceptis essentialibus nec unquam substantialem fuisse repertam immutationem, ne dicam corruptionem. Capellus & Millius ingentibus laboribus & sumptibus variantes Evangeliorum Lectiones conquieserunt, sed illis sedulo discussis sententiam tulerunt, in Essentialibus, sive Dogmaticis, sive Moralibus, nec umbram præjudicii sacris libris accessisse. Exemplificemus facta, & patebit veritas. Resuscitatio Lazari, multiplicatio panis cet. in quibusdam equidem Exemplaribus alio, ac in aliis, narratur modo, sed narrantur tamen. Historia Resurrectionis Jesu Christi in quibusdam Exemplaribus S. Marci, sicut Historia adulteræ, in quibusdam S. Joannis deest; Id quod & S. Hieronymus, aliique Patres monuerunt; cum autem in Exemplaribus ceteris horum Evangelistarum, & quoque in aliis Evangelistis referantur hæc facta, quid inferre decet? Equidem in aliquibus fuisse omissa, non autem in ceteris fuisse supposita, ut inde increduli inferre mallent.

III.

III. Quid autem, reponunt, si & ipse Origenes testatur, (a) Celsum Christianis objecisse, quod sacros suos libros corruperint & depravarint. Objiciente Celso, fatente Origine quæ major corruptionis proba desiderari potest? At non sufficit, Origenis confessionem Celsi objicientis attulisse, sed & id, quid Origenes respondeat, adferre oportet. Confitetur igitur Origenes, quosdam Hæreticos, quales Marcionis Discipuli erant, quædam Evangeliorum Exemplaria corrupisse; sed talem depravationem Christianos aut præsumpsisse, aut adprobasse, negat & pernegat. Fatemur igitur cum Origene multos Sectarios sacros nostros Codices modo in uno, modo in altero textu corrupisse, & depravasse, ut errorum suorum quoddam mentirentur fulcrum; sed & hoc dicimus & monstramus, modo in Conciliis Oecumenicis, modo in particularibus has corruptiones fuisse notatas, condemnatas, correctas & emendatas, & corruptionum Authores a Communione fidelium fuisse rescissos. Hic autem Incredulorum mos est, ut ex Celso, Juliano, Porphyrio, aliove Christiani Nominis osore modo illud, modo istud detruncant monumentum, ut veritati & Religioni Christianæ opponant, & si ejusdem memoriam in quodam Patre, vel alio ex Patribus decerpto loco reperiant, textum detruncatum ad decipiendos incautos & inexpertos adlegent, quin, quodnam Patris sit Responsum, adjiciant. Sed quid prodest hæc ipsis male conscia fides, nisi ut se Traditores monstrent & declarent.

B b 4

CAPUT

(a) L. III. contra Celsum.



CAPUT NONUM

DE LIBRORUM N. T. DIVINITATE.

*A*postolus Timotheum exhortans, ut in iis, quas doctrinas didicerit, constans permaneat, hæc adjicit verba: (a) *Tu permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris; Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu; Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum cet.* Apostolum in hoc sacro elogio suo Libros N. T. respicere, una omnium interpretum confessio est. Sed quid iis velit verbis: *Omnis Scriptura divinitus inspirata*, hoc est, quod nostram mereatur in præsentia attentionem. Novi Testamenti libros sicut & Veteris a Deo fuisse inspiratos, & ductu S. Spiritus exaratos, communis Christianorum doctrina est; attamen quidnam proprie hæc verba velint, obstrepente incredulorum cœtu, quædam controversia hinc inde movetur, ad quam definiendam Pauli verbis inhærendum esse arbitror. Textum igitur Græcum inspiciendum judico, qui utitur τὸ θεοπνευμά, quod vulgata vertit *Divinitus inspirata*, quod

(a) Ad Tim. II. 14. 15. 16.

quod tamen idem ac spiritu sive afflatu Divino communicata exprimere velle arbitraretur. Quis autem abneget Evangelia sive Libros N. T., si Divino spiritu communicata aut inspirata probari possint, Divina dici debere? Ecce, quodnam hujus Capituli sit argumentum.

SECTIO PRIMA.

DEMONSTRATUR LIBRORUM N. T. DIVINITAS.

§. I.

Ex eorum contentis, & scribendi methodo.

I. *S*acri libri vel secundum eas, quas continent materias, vel secundum eum, quo conscripti sunt, modum considerari queunt; quacunque autem ex parte eos contemplemur, ex iis Divinitatis Characteres ubique transpirantes deprehendimus. Revelant nobis unum Deum, Trinum in Personis, spirituales, immensum & infinitum Rerum omnium Creatorem, & mundi universi per peccatum originale in æternorum malorum Barathrum collapsi Redemptorem, per secundam in Trinitate Personam incarnatam, quæ cooperante Spiritu sancto in utero illibate Virginis concepta & nata est, quæ prædicavit Evangelium, miracula patravit insuperata, dixit Prophetias, & ubique Divinitatis

tatis manifestavit opera. Tandem hic homo Deus pro nobis est passus, mortuus & sepultus, sed tertia die resurrexit, in cœlos ascendit, & iterum venturus est, judicaturus vivos & mortuos, præmiaturus electos vita æterna, malos vero puniturus æternis suppliciis. Evangelica ipsius Doctrina est purissima & perfectissima Doctrina moralis, quæ omnes refrænât passiones, omnes corrigit appetitus, eradicat vitia, & implantat virtutes, earumque exercitium sublimibus & efficacissimis suadet motivis, & faciliat gratiis. En brevissimum Dogmatum & præceptorum in sacris his Libris contentorum compendium,

II. Certe dogmata & præcepta humana mente inaccessibleia & impenetrabilia, quæ humanum ingenium, utut sublime adipisci non potuit; Nihilominus tamen Personæ simplices & rudes ingenio sine difficultate capiunt, facilitate incredibili exprimunt, & stylo ab omni affectatione libero & inimitabili simplicitate ad puerorum usque captum describunt. Cum miraculosam Verbi Incarnationem describunt, omni absque fūco & arte Divinam Majestatem, ut ita dicam, cum vilitate humana desponsatam repræsentant. Qui hanc similesque narrationes attente legit animo, admirandus exclamare cogitur; Hæc sancta Evangelia non hominis sed Divinitatis sunt opus. Non solum Christiani sed & ipsi, quos Libertini & increduli colunt, Authores in hanc Admirationem abrepti fuere. *Evangelium*, ait famosus *Spiritus Legis* Auctor, est *excellen-*
tissimum


tissimum donum, quo Divinitas hominem beare potuit. Fateor, ait Rousseau, *Majestas Scripturæ attonitum me reddit, & sanctitas Evangelii meo loquitur cordi, videte omnes Philosophorum Libros cum omni sua pompa, quam sint exiles in comparatione ejusdem! Estne possibile, ut liber adeo sublimis insimul & simplex hominis sit opus?* cet. Sic & ipsi Religionis Christianæ derisores sacrorum librorum nostrorum Divinitatem inviti sentientes, & nolentes & volentes contestari debebant. Et sic est, quoque ipse tonus, ut ait Rousseau, Divinitatis quid habet. Inimitabilis Candor & simplicitas, quibus facta enarrant, veritatis studium, quod ubique transparet, stylus ab omni passione, ab omni invectiva, ab omni exclamatione, ab omni planctu, ab omni exaggeratione, licet crudelissimam persecutionis describat Historiam, liber & immunis hominem scribentem non producit, quia nil hominis ostentant & ostendunt. Homines communiter quærunt se ipsos, & in operibus suis proprium quærunt honorem, commodum & utile. Auctores sacrorum librorum cum solum Dei sint instrumenta, nil nisi gloriam Divinam, fratrumque salutem; non spirant nec inspirant, nisi terrenorum contemptum, vitiorum odium, & virtutum amorem.

III. Liceat, paulisper hanc virtutum ingredi Scholam, & ibi per quædam momenta morari. Ubinam virtutem adeo puram & perfectam, quam in nostris sacris libris, reperire datur? Ubi audiuntur lectiones adeo simplices, & simul sublimes, adeo breves & simul

extensionis tantæ, adeo humanæ debiliati congruæ, & simul Majestate Divina dignæ, quam in nostris sacris libris? Fons quasi inexhaustus lucis & ignis Divini, lucis, quæ illuminat, ignis, qui accendit amore, & hominem super se ipsum transferunt & elevat. Ubique Veritas & Charitas; Veritas, quæ purissimam & rigidissimam licet doctrinam moralem inculcat, quæ & sensus & animum horrere facit, sed insimul Charitas, quæ unctiōe Spiritus sancti omnem temperat rigorem, omnem dulcedine mitigat amaritudinem, omnem suavitate infringit duritiem & victoriosi gratiis & auxiliis ad ardua gloriose subeunda, allicit, stimulat, adducit & perficit. In hac sacrorum Evangeliorum schola profus Divina veri formantur Heroes, qui dant admirabilia specimina & Exempla Resolutionum generosissimarum ad vitæ emendationem, & sanctimoniam morum, ad actus heroicos & virtutes in omni gradu perfectas, quin humani subrepant defectus, qui actionibus humanis aut generosis & heroicis alias suffurantur virtutis meritum & pretium. Pagina non caperet, si omnes Divinitatis vellem describere Characteres, qui tutius & fructuosius leguntur, quam explicantur.

§. II.

Ex Præscriptione Opinionis universalis de sacrorum Librorum divinitate.

I. mnes Pagani & Hebræi, quotquot Religionem Christianam ab ejus Origine ad præsens

sens usque momentum amplexi fuere, convicti fuerant, & convincuntur usque modo, Libros Novi Testamenti esse Divinos & Divinitus inspiratos; Quo etenim motivo adduci potuissent, ut Religionem suam, quam ab unguiculis didicerant & professi fuerant, desererent nisi de Divinitate Librorum, quos docebantur, persuasi fuissent? Hæc igitur Divinitatis Librorum fides cum ipsa Christiana Religione exordium sumpsit. Qui hanc controvertere præsumit, Epocham sæculo Apostolorum, quod nascentem hanc fidem genuit, posteriorem commonstret. Probet, si possit, ut debet, primos Christianos Librorum Sacrorum Divinitatem non credidisse, sed hanc opinionem modo post unum alterumve sæculum fuisse universaliter in universam Ecclesiam introductam, & universaliter prævaluisse: Nos dicimus, & ex ipso rerum successu monstramus, hanc Divinitatis Librorum fidem ab Apostolorum tempore & doctrina accepisse, & per fidem universalem, atque per non interruptam Traditionem per posteros ad nos usque pervenisse, quia capi non potest, quomodo aut quando, contra primorum Christianorum fidem hæc opinio emerferit, & in universam Ecclesiam nemine contradicente, sed consentientibus omnibus irrepsit & propagata fuerit; Tota etenim Christianæ Religionis basis & fundamentum fuit, & usque modo est, Libros sacros esse Divinos.

II. Primi igitur jam Christiani Religionem hanc non alio ex motivo amplexi sunt, nisi quod crederent, Libros,

Libros, qui Religionem hanc docent, esse Divinos & Divinitus inspiratos, aut ut Apostolus ait, *Divino afflatu* five *spiritu* communicatos. Poterant equidem dubitare, an Libri hujus vel illius hic vel alius sit Author; Verum semel convicti hunc illumve Apostolum aut Evangelistam hujus illiusve Libri esse Authorem, de illorum divina inspiratione adeo erant persuasi, ut ipsius Librum antea non cognitum Divinum esse, nequaquam dubitarent. Quod autem de Apostolorum Missionem & Divina inspiratione dubitare non potuerint, eorum faciebant miracula, de quibus ceu opere Divino dubitare non poterant, quia oculis videbant, & manibus palpabant. De eorum igitur Miraculis convicti, quoque de Authorum inspirata Divinitate convincebantur, & hinc ab omni hæsitatione, de sacrorum Librorum Divinitate convicti & persuasi, vinculum illud difficile ruptu, quod eos ad Religionem antiquam alligaverat, diruperunt, & illam Religionem amplexi sunt, quam hi Libri Divini docebant & prædicabant. Non igitur habebant, unde de Librorum Divinitate vel minimum dubitarent. Ubique etenim par certitudo & evidentia. Miracula esse Divina, Divinitus igitur quoque inspiratos esse Auctores, & eorum Libros non nisi Divinos esse. Hæc illa Catena, quæ sustentat omnia; etenim annulo uno disrupto, ut rumpantur & frangantur cetera, necesse est. Primi igitur Christiani jamjam Apostolorum tempore Libros Novi Testamenti esse Divinos, crediderunt; Christiani posteriorum sæculorum cum eandem amplecterentur fidem & Religionem, pariter cre-

credebant, illos Libros esse divino afflatu communicatos & inspiratos, quia credebant id, quod crediderunt illi, & credebant ideo, quia primi Miraculorum Divinorum oculati testes, quod viderant, edixerant.

III. Rem collustremus Exemplis. Quoties e finu Matris Ecclesiæ quidam prodierant Hæretici, mox SS. Patres & fidei Defensores sacros arripuerunt Libros, & secundum illos enatam hæresin discusserunt, rejecerunt & condemnarunt, Protestantes & contestantes, hanc Scripturam N. T. esse Divinam Regulam, normam & formam, quia Divinitus esset inspirata, & ab Auctoribus Divino afflatis spiritu conscripta. Sic volebat S. Cyprianus Rebaptizantium Causam per sacram Scripturam Evangeliorum esse decidendam; Sic protestabatur Tertullianus, Spiritum S. loqui in Epistolis Pauli; Sic Christiani omnes lites & disputationes in causa Religionis exortas non aliter decidi & definiri debere, per illam sententiam definitivam: *Sic scriptum est*, solos scilicet Scripturæ textus audientes. Tanta ipsorum erat de Divinitate Librorum N. T. persuasio & fides, ut de iis sicut de Libris V. T. opinionem, æstimationem & venerationem foverent; eandem credebant esse originem & Authoritatem, & in publicis conventibus suis eosdem legentes, nullam fidei, nullam Authoritatis crederent differentiam, sed indiscriminatim eos Novi sicut Veteri Testamenti Libros crederent esse Divinos & Authoribus suis Divinitus fuisse inspiratos. Hæc non modo Christianorum sed & ipsorum Apostolorum erat persuasio. Miracula etenim, quæ continuo

patrabant, non alio tendebant, nisi ut Divina comprobarent Omnipotentia, ipsos a Deo esse missos & inspiratos, tam quod prædicandum & docendum, quam ad scribendum, sive ad id, quoad ore docebant & tradebant, Literis Divinitus inspiratis consignandum. Et quodsi non Divinitus ad scribendum inspirati fuissent, non modo ipsi sed & eorum Discipuli summi Sacrilegii & imposturæ se reos fecissent, cum hanc fidem persuasionem fidelibus inculcare, & inculcatam servare præsumpsissent; sic sanctus Clemens Romanus Apostolorum Discipulus inexcusabilis esset, cum ad Corinthios diceret, (a) S. Paulum Divinitus fuisse inspiratum. Nunquid ipsis incredulis testibus, enormi idololatriæ scelere se commaculasset, si erga illum fidem plenam & integram, ac cordis & mentis perfectam submissionem & obedientiam soli Creatori debitam requisivisset. Absurdissimum esset, talia de Apostolis & eorum Discipulis præsumere; igitur unanimis Christianorum, Apostolorum Discipulorum consensus & fides, Libros N. T. non esse nisi Divinos & Divinitus inspiratos, infallibile & ineluctabile Præscriptionis format argumentum.

SECTIO

(a)

SECTIO SECUNDA.

INCREdulorum CONTRA LIBRORUM N. T. DIVINITATEM DUBIA DISPELLUNTUR.

Ea, quæ increduli contra sacrorum Dogmatum Divinitatem, & contra Præceptorum moralium Integritatem multo clamore obvertere solent, in sequentem librum rejicimus, ubi de Religione Christiano-Catholica, quam a primæva fidelium fide, & avita præceptorum integritate & mansuetudine descivisse, tum increduli & Libertini, tum & illi, qui cum Ecclesia Catholica non communicant, terribili strepitu inclamant, verba facturi sumus. Modo igitur solum incredulorum discutiamus argumenta, quibus universalem Christianorum fidem, & fundatam in ea præscriptionem evertere moliantur. His præmissis sit

S. I.

Enervatur incredulorum argumentum, Divinitatem Librorum ex universali Christianorum fide deductam impugnans.

I. **N**on est, inquit Increduli, populus in corpore Religionis adunatus, qui non eodem gloriatur privilegio, Legislatores suos Divino Spiritu

Cc

*

& afflatu inspiratos fuisse, proinde & Religionem ac libros suos, suamque Doctrinam, suaque Præcepta Divina esse. Sic inquit Mahumedani, Alcoranum esse verbum Dei, sic ajunt Hæbrei hodierni Thalmudem esse Dei verbum, sic & non aliter dicunt Christiani, Catholici & Protestantes, eorum Evangelia esse verbum Dei; sic pariter Prophetæ Dei est Mahumed Constantinopoli, Papa Romæ, Lutherus Wittenbergæ, Calvinus Coloniis Batavorum cet. Omnes Pastorum suorum secuti Doctrinam & verba, hos Fundatores suos Divinitus fuisse inspiratos, conclamant. Una est Veritas, fateri necesse est, igitur & omnibus communem esse oportet, sicut solem omnibus communem esse novimus. Si autem omnibus est communis, & esset unus alterque, qui evidenter veritatem non cognosceret, partialis esset Deus, si eidem non affunderet hanc lucem; aut crudelis esset & injustus, si ob id, quod veritatem adeo disceptatam non agnosceret, æternum punire vellet. Sunt igitur & erant omnes Religiones acceptæ Deo, aut si una esset & sola, talis necessario deberet habere Characteres certos & manifestos, ut omni ætate & loco eos cognoscere oporteret, sed hæc sane Divinitus prætensa Christianorum esse nequit, cum omnes Religiones prætendant eosdem.

II. Facile concesserim, & Mahumedem, & Hæbræos, & Lutherum, & Calvinum aliosque Hæreticos, & Sectarum Capita contendere, *Alcoranum, Thalmudem, Symbolicos Libros, Institutiones*, aliosve hujus generis libros Divinam comprehendere doctrinam, & nonnisi

nonnisi Divinitus inspiratos sua scripsisse & docuisse dogmata; sed unde Divinæ inspirationis aut Missionis suæ Credentiales & testimonia ferunt? Non sufficit dixisse, sed probare necesse est. Apostoli eam, quam sectamur, doctrinam in suis Evangeliiis & Epistolis nobis credendam proponunt, & revelatam a Deo affirmant. Sed unde probant? Divinis comprobant Prophetiis & miraculis, ut satis & fusius ostendimus. Ubi nam autem Mahumedem, Rabbinos, Lutherum, Calvinum, Tollandum, aut alium his similem Divina patrassè miracula constat? Miracula sunt digitus Dei, ab hoc si doctrinam subscriptam conspiciamus, de ejus Divinitate ultra dubitare, nefas est. Sit igitur rudissimus & simplicissimus idiota, qui nec legere nec scribere calleat, si fidem suam quatuor mox recensendis Prærogativis Christianæ Religionis (nulli vero alteri ab ea diversæ) propriis superædificat, gloriari jure & merito potest: Divina & Divinitus inspirata est ea, quam profiteor, fides. *Primo*: Eam, quam teneo, fidem universalis testatur Ecclesia; etenim Pastor & Curatus meus, qui Doctrinam in sacro-sanctis Evangeliiis & Epistolis contentam mihi proponit, loquitur in nomine omnium pastorum & totius Ecclesiæ, cui ipsum communionem conspicio unitum. Credo igitur, Doctrinam suam esse ipsum verbum Dei revelatum, quia universa sic credit Ecclesia, cujus Pastorem meum ipsi aggregatum video & membrum & præconem. *Secundo*: Testimonium ipsius video adeo cum illo universæ Ecclesiæ concatenatum, ut ad originem fidei Christianæ illud conspiciam

ascendere & per ininterruptam Traditionem ad me usque descendere. *Tertio* doctrinam suam, quam in Libris sacris video contentam, tot Divinis conspicio miraculis firmatam, ut de ejus Divinitate & Veritate dubitare mihi nequaquam liceat, quia doctrinam falsam & erroneam Divina Veritas Miraculis firmare & testari non potest. *Quarto* denique, si ipsam inspicio Doctrinam, illam adeo deprehendo evidentem, sanctam & puram, ut omnium, Heterodoxorum & incredulorum quoque, cordibus non nisi venerationem, admirationem & amorem inspirare deprehendam. His quatuor igitur Prærogativis semel imbuto atque persuaso mihi necesse non est, ut cum Scepticis, Baylio aut Rouffojo, discussionum difficilium & inextricabilem Labyrinthum meum immergam; necesse non est, ut crasseo profundæ adplicem balances, ut percurram Bibliothecas, pervolvam volumina, Originalia confrontem cum copiis & traductionibus, ut studeam, supposititia discernere ab authenticis, ut argumenta & objectiones incredulorum & infidelium rigido perstringam examine, & omnium quasi Sectarum perlustrem emporia & Oretoria, omnium Doctorum assideam pulpitis, & ubique locorum, quod doceant, quid faciant, attento dispiciam oculo & animo, & eorum dogmata & doctrinæ in propria cujuslibet patria percipiam. Apage hunc vanum difficultatum insuperabilium apparatus, qui me confundere, sed docere non potest! Breviorem teneo viam, quæ omnibus hisce spinis, scopulis, montibus & abyssis caret. Meum est nosse, an Religionem

Chri-

Christianam Divina revelaverit Veritas, si hoc, quod ultra quæram, non superest.

III. Hoc inquam est unicum & solum difficultatis punctum. An Religionem Christianam Divina revelaverit Veritas; Si etenim eam revelaverit Deus, vera est, Divina est, & quæ ab ea discrepant, falsæ & filix erroris sunt; si deinde noverim, nec ne, ipsis Anathema dico. Necesse non est, aut eorum percipiam rationes & fundamenta, mea nil refert; Una est Veritas, & Veritas sola Divina est, qui contradicit, quibus demum ex Capitibus contradicat, non curo, in errore est; errorem damno, viderit ipse, qui suum coram Deo, quem loquentem audire, & cui loquenti credere detrectat, justificet errorem. Meum non est disquirere, quid credat ipse, quid sui credant sectarii, sufficit, quod Religionem meam a Deo revelatæ contrariam doceat; Veritas sibi contradicere nequit; cum igitur veritas Religionis meæ Divina est, suam erroneam esse, aperte convincor. Sed unde tu nosti, inquiet incredulus, Religionem tuam esse revelatam atque Divinam? Evidentissime novi. Oculis meis propriis Prophetias in sacris Religionis meæ Libris ad literam (ut ostensum fuit) video adimpletas. Dubitare, qui possum, cum oculis videam, & manibus palpem? Video & audio, ipsam Miraculis, signis & prodigiis Divinitus esse adfirmatam; & hæc Miracula tot tantisque testibus adinvenio comprobata, ut non minus securus eadem, ac si propriis meis conspexissem oculis, credere possim.

C c 3

Video

Video Religionem meam unanimi Christianorum, qui ab initio fuerunt & usque modo vivunt, testimonio firmatam, sed omnes aut fuisse deceptos, aut decipere me voluisse, aut potuisse, plane impossibile deprehendo. Religionem meam in sacris Evangeliiis & Epistolis video descriptam, tam sancta & sublimia sunt horum librorum dogmata, sed adeo ad captum & fidem meam explanata, & doctrina moralis tam pura & illibata & in characteribus suis adeo perfecta, ut eam non nisi ex Divinitatis & Sapientiae supremæ fonte defluxisse intime convincar, quia nil nisi Divinitatis habent, & non nisi Deum possunt habere Authorem. Video Catechismum meum omnibus totius mundi Christiani Catechismis plane conformem. Audio pastorem meum, & ipsius credo doctrinis, quia novi ipsum in suo ministerio non nisi Prædecessorum suorum insistere doctrinis, cum verba sua cum Pastorum omnium, totiusque Ecclesiae verbis audio & video cohærere. Sufficit hoc mihi. Plura nec scio, nec scire cupio. Linguas non calleo, nec patrium novi legere idioma; Verum quid obest? Religionem mihi propositam tot Divinis conspicio munitam signis & characteribus, ut de ejus Divinitate ultra dubitare non queam, & si alia mihi adfertis dogmata & doctrinas, audacter repono: Deus nec mentiri, nec fallere potest, minus Veritas contradicere sibi, cum igitur de Veritate & Divinitate Religionis meae intime persuasus existam, igitur si & Angelus aliud evangelisaverit mihi, ipsi Anathema dicere, necesse est. Coacervate igitur argumentorum montes, mea non

interest.

interest. Non moveor argumentis, non concutior ratiociniis. Si decipior, Deum me decepisse, necesse est, sed Deus decipere non potest, igitur securus & quietus in Religione mea & vivere & mori volo. Si tu credere non vis, compatiar tibi, non irascor, quia fides & lumen & donum Dei est. Si lumini oculum claudis, doleo, si lumen non affulget tibi, pro te orabo, ut det hoc donum felicissimum tibi, ut videas, mecumque credas, quia frater meus es, & pro te mortuus est Redemptor meus.

IV. Sed una est, inquiunt increduli, veritas. Bene inquiunt, quis unquam negavit? Verum an hanc veritatem unam agnoscunt omnes? Gloriantur equidem omnes, & non est Religio super faciem terræ, quæ non suam contenderet veram. Ast, cum adeo in principiis essentialibus contradicant sibi, possibile non est, ut omnes veræ dici queant. Igitur omnes præter unam falsas esse oportet; aut veram neque unam. Omnes esse falsas æque impossibile est, cum Veritatem dari, sufficienter probatum credimus, igitur & vera Religio existere debet. Sed, inquit incredulus, Veritas debet omnibus, solis adinstar, communis esse, alias etenim Deus aut imparialis aut injustus hujus doni quam maximi Distributor compellari mereretur. Exinde, ait, coherentissime infero: Ergo omnis Religio est bona; Aut si una est sola eaque revelata, illa certe tam lucentes & fulgidos debet habere characteres, ut omnes omnino homines, nec ullo excepto, eos digno-

scire, & agnoscere, minime vero decipi aut falli possit, secus nec condemnari, minus plecti æternum poterit. Increduli argumentum nequaquam aspernamur, sed ut nobiscum ultra procedat, obsecramus. Hisce etenim stantibus, quis negabit, inquirendum esse sedulo, quænam tot inter Religiones & Sectas, tam aperte sibi contradicentes, veritatem in suo foveat sinu, & proinde vera sit Religio? Non absterreatur a labore, adeo etenim difficile non est, ut Roussoji, alibi memoratis vestigiis inhærens fingit. Ea sola est vera Religio, quæ Deum habet Auctorem. En veritatem æternam! Aut Jus aut Voluntatem supremi Numinis in dubium vocare licebit, quod creaturam suam rationalem, qui eum colere, aut ei servire velit, obstringere aut possit aut velit. Non erit, qui dicat, nisi Atheus purus putusque. Quis autem hic cultus, nisi Religio, quæ homo Deo placere contendat? Nunc lubeat incredulo nostro, maturo discutere examine, an non sola & unica Religio christiana sit illa, quæ Deum suum agnoscit Authorem? h. e. quod Deus hæc Religionem revelaverit, prædicaverit, & prædicari jusserit per mundum universum, seu solam & unicam viam, quæ suo serviat Deo Creatori, Reparatori & Sanctificatori, & in cultus mercedem vitam consequatur æternam. Hoc est illud grande factum, quod per priorem & præsentem Librum probatum ivimus, insimul tam luminosissimos & evidentissimos Divinitatis circa Religionem istam revelatam characteres demonstrando, ut qui non videat, & agnoscat, oculos soli meridionali claudere necesse sit.

V. Verum, ait incredulus, Religio revelata non est illa, quæ meos feriat oculos, aut meum cor tangat moveatque. Inutilis est mihi, me turbat atque confundit. Ratio, quam Divinitatis revereor donum, Sufficit mihi ceu creaturæ suæ. Deum inter & Rationem meam non video, quid ultra superfit. Ratio est, quæ me Deum adorare, & mere interno ac spirituali servitio, quia spiritus est, ipsum colere docet. Ejus internam teneor audire vocem, & facultatum mearum naturalium bonum facere usum. Loquitur hoc Numen cordi meo, meoque intellectui, & immediata mihi suppeditat lumina, & inspirat documenta. Cordi meo insculpit Naturæ legem Divino digito suo; quare igitur ab homine mihi sumillimo leges acceptem credendi, & normam vivendi? Hoc meum est Evangelium; Hæc integra Religio mea. Hoc illud Jus Divinum & naturale omnibus in terra viventibus commune, omnibus loquitur, & nemo absque Numinis supremi injustitia illud ignorare potest; quis omnes æque ex nihilo traxit, ut eum colant, eique serviant.

VI. Sic est, Deus creavit æqualiter omnes, ut ipsum cognoscant, eique serviant; atque ut eos redderet beatos, necesse fuit, ut eorum mentibus eas imprimeret cognitiones, quibus suas dignoscerent obligationes, quibus adimpletis illud consequerentur præmium, ad quod conditus fuit homo. Creavit igitur hominem ad imaginem suam, h. e. indidit ipsi facultates, eum cognoscendi atque amandi, dotavit ipsum

ratione, quæ quasi facula præcederet, ut ejus luce collustratus Proprietates & Attributa Dei Creatoris sui, nec non officia tum erga ipsum, tum erga se, tum erga proximum suum consequeretur. Quodsi igitur Homo bonum rationis suæ usum fecisset, & obligationes suas fideliter adimplevisset, revelatio ipsi nequaquam necessaria fuisset, nisi in tantum, in quantum Creatori placuisset, ipsi hoc aliove modo novas cognitiones communicare. Verum cum homo libertate sua, in qua Deus creaverat eum, abusus fuisset, & ab officiis suis turpiter declinasset, & Creatori suo rebellis evasisset; cum intellectus ignorantiae tenebris obscuratus, voluntas corrupta & infirmata flaccesceret, & nonnisi superficialis, debilis & vaga officiorum suorum cognitio relicta fuisset, iisque adimplendis vigor & auxilium non superesset. Ecce infelicem, an felicem dicam, ignoro, Epocham, in qua Religionis revelata, quæ illuminaret intellectum, & duceret voluntatem, necessitas fuit. Hæc etenim Religio revelata est sola & unica menti & capacitati creaturæ rationalis proportionata & accommodata, & cujus Authoritas una & sola tantis mederi malis, & humanam effrenem libertatem Creatori suo submittere nata fuit. Congruerat igitur, ut ipse Deus infinita bonitate sua loqueretur homini, & ea, quæ ad beatitudinem hominis in hac & in altera vita requiruntur, revelaret & manifestaret. Revelavit autem, quæ ratione & modo homo suum coleret Deum, eique serviret, tum intum externo cultu, quo beati-

tudinem,

tudinem, ad quam conditus fuit, sed a qua turpiter aberraverat, consequeretur.

VII. Etenim homo non est simplex sed substantia composita ex corpore & anima. Dignum igitur & æquum est, quin imo necessarium, ut & corpore & anima, quæ ambæ Dei creaturæ æquales sunt, suum gratitudinis præstet homagium atque servitium supremo scilicet Numini Authori suo. Prætere autem, ut incredulorum mos est, Religionem hominis esse meram internam absque omni extremo cultus & obsequii signo, est Dei creaturam aut destruere aut discerpere; contra omnem Philosophiam rationalem defendere deberet, animam nullum penitus in corpus humanum influxum habere, ipsumque corpus ejusque sensus nihili decoris, nihili turpitudinis in societate humana fore capax. Primum enervat intimum illud, quod corpus inter & animam intercedit commercium; & alterum ipsa repudiât humana societas, ejusque Leges, quæ alte clamant, æque corpore ac sensibus peccari ac laude digna fieri posse. Sit igitur Religionem talem mere internam pro homine e mundi consortio abrepto & in se ipsum contracto fingi posse; verum quam primum Incredulorum Principia in lucem prodeunt, hominem esse animal sociabile conditum, & esse societatis humanæ membrum, nolint, velint, se ultra ab externi cultus & obsequii debito absolvere nequit. Non enim est Angelus, qui ad Angelum loquatur ideis & conceptibus, sed est homo, qui non nisi signis externis
sibi

fibi simili, quid cogitet, quid sentiat, communicare potest. Cultus hic externus magis magisque redditur necessarius, cum a primitiva sua exciderit conditione, & ob intellectus tenebras & cordis depravationem, quid deberet Deo, quid sibi, quid proximo, nisi mediante Revelatione dignoscere queat. Hunc cultum, quoad omnem penitus hominem uniformem, solus Deus suam poterat docere creaturam, velut metipse docuerat, cum omnes homines illi infereret, quam Ecclesiam fundavit. Ratio & conscientia, ut increduli fabulantur, equidem hominem unum, sed non omnes pariformiter mōnere & docere posset; & quid tum, si posset? Demonstrandum prius, hanc internam esse cultus rationem, quam Deus a Creaturis suis ex corpore & anima compositis exigeret. Quid diceret Imperator aut superior quiscunque, si jurata fide obtestarer, me ipsi interius omnem exhibere cultum & servitium, sin autem nec pedem nec manum ad ejus cultum servitiumque debitum movere vellem? Stabilivit autem Deus hunc cultum uniformem, cum Religionem verbo suo Divino fundavit atque firmavit, docens, qua ratione ipsum colere, eique servire possimus & debeamus. Potest autem, quiscunque velit in hac Religione ab ipso fundata infallibiles Divinitatis Characteres, si voluerit, deprehendere; neque, ut increduli clamant, necesse est, ut hæc signa & Characteres sigillatim omnium oculis, ut cum Rouffōjo contendunt, exhibeantur. Sat est, hæc signa, dum loqueretur Deus, & instrueret suos, ac per suos instrueret alios, semel evidenter &

clare-

clare præcessisse, ut infallibile veritatis nobis ingenerent argumentum; iniqua prætensio esset, ut facta antiqua Romanorum v. g. coram meis repeterentur oculis, si meam vellent promereri fidem. Similia nec incredulus somniavit.

VIII. Tres cogitationum nostrarum sunt fontes. Objecta mera intellectualia, non nisi per ideas claras & distinctas mentis, cognoscere possumus. Objecta sensibilia atque præsentia nonnisi per sensus nostros attingere & cognoscere possumus. Objecta absentia atque remota sive intellectualia sive insensibilia nonnisi per revelationem aut per testimonia hominum accipere possumus.

Isti sunt illi tres humanarum cogitationum fontes, quos ipse Creator Deus creaturæ rationali subministravit. Qui Philosophus est, de hoc Dei triplici dono æque puro ac certo diffidere non potest, si plenam in mundo certitudinem admittere contendit; si non, neque est, cur ei loquamur. Quod si igitur incredulus tertium prorsus vult rejicere fontem, contendens per hominum sensus & testimonia nullam nobis ingenerari posse fidem & certitudinem, valete historix omnes! omnia a nobis absentia atque remota valete acta & facta! Prolabimur igitur in miserrimum Scepticismum, neque est, cur ultra nostris propriis fidamus sensibus & experimentis; Etenim si non alteri credo, ipsum eisdem, quos habeo sensus, habere, neque propriis meis possum ullam adhibere fidem. Si falsum est, quod vident, audiunt, & tangunt; si falsum est,

quod

quod ipsi viderunt, audierunt, & tetigerunt, ut mihi enarrarunt; ergo & falsum erit, aut saltem ipsi falsum dicent, quod ego video, audio, & tango. Sic ergo omnis exulat fides, veritas, & certitudo. Cum autem hic universalis Scepticismus omnem offendat rationem, & cum ipsorum firma sit fides, stetisse Trojam, vixisse Socratem, Epicurum, Juliannum cet. Igitur me minime turbent, si adseram: Non dantur facta (ipso Rouffojo) teste, quæ firmioribus sint roborata testimoniis, quam ea, quibus mea innitur Religio; cum ascendere possim ad oculatos hujus veritatis testes, qui & pro ea vitam & sanguinem dare non recusarunt; & cum in ea vivam societate, quæ ab iis fundata & revelationum harum constituta est depositaria, quam a tot sæculis nec ullus mendacem & fallacem aut merito dicere, aut probare potuit. Admisso autem, facta Evangelica esse vera atque divina, & non nisi Divinitatis habere characteres, & ea, quæ in iis continentur, ab ipso Deo esse revelata, præscripta & præcepta, quæso, quis excusabilem se dicet, quis a pœna, infidelitati & incredulitati in sacris Evangeliiis taxata, se liberari, prætere potest, si ea scire potuit & exequi, sed noluit? Vel nostrum est Creatori obtemperare, nec ne? Respondeat incredulus, si possit. Et ego cum ipso dicerem, injustus & crudelis esset Deus, si hominem æternum plectere vellet, eo quod non suam profiteretur Evangelicam religionem, si eam non talibus munivisset signis, quæ ejus Divinitatem non comprobarent, aut si eam non sufficienter mihi revelasset, aut prædicari

cari & manifestari fecisset. Sed in quo culpabimus Deum? Revelatio adest, characteres Divinitatis adfunt, prædicatio superabundat.

IX. Siste inquiet incredulus, non omnibus prædicatum est Evangelium, ergo saltem illi peribunt, quia non credunt Evangelio? Amice, tibi prædicatum esse Evangelium, incipias ire non potes; te in eo omnes Divinitatis posse percipere characteres, si velis, pariter certum est. Pro te igitur excusatio nec ulla. Vis ne autem excusationem pro Barbaris? Laudo amorem proximi, sed laudare non possum, quod inde quid solaminis pro te speres. Quis ergo Christianorum docuit, gentes barbaras, ad quas prædicatio Evangelii (fors ob propriam ipsorum culpam) non pervenit, æternum damnari? Falleris quam maxime, si hanc Christianorum doctrinam credideris. Non propterea, quod Evangelium non audierunt, & ei non crediderunt, sed eo quod legem naturæ eorum cordibus inscriptam non observarunt, unde Legem Evangelicam audire, non meruerunt; inde, inquam, eos juste puniri, Christianorum doctrina est. Operæ pretium est, ut huic incredulorum argumento paulisper insistamus, quia eodem incautos & simplices fallere, & Deum injustitiæ arguere non verentur. Audiamus igitur, quid præterendant increduli. Explicetur nobis, inquit, sed solida & convincenti ratione, quomodo juste damnentur illi, qui invincibiliter Christianam ignorant Religionem cum his stantibus impossibilis eorum esset salus; aut

osten-

ostendatur, quomodo hi Barbari salvari queant, qui absolute & invincibiliter ignorant fidem eam, quæ tamen absolute ad æternam salutem prædicatur necessaria? Demum quænam eorum sit fors futura, qui legem Naturæ exacte observant, sed Evangelicam legem (quæ ad salutem indispensabiliter necessaria prætenditur) invincibiliter ignorarunt. Antequam respondeam, respondeant & mihi increduli nostri, an homo, cui loquitur Deus, sive per se, sive per homines, quia loquitur homini, absolute & indispensabiliter teneatur ejus credere verbo, & obsequi mandato? si per similes quæstiones incredulus se se Dei mandato subtrahere cogitet, noverit, se non Deo fidelem, sed rebellem per similes exceptiones monstrare. Sed Philosopho philosophice respondeamus: Non licet ex eo negare id, quod clarum & evidens est, quia intercedunt ea, quæ obscura sunt. Quodsi autem & obscura eo dilucidantur modo, ut cor sincerum & intellectus rectus, quod contradicant, non habent, igitur Philosophus non esset, qui propter obscura dilucidatam veritatem aut oppugnare aut prorsus negare præsumeret. Audit igitur, & credat, quod universus credit catholicus orbis. Deus sincere vult, omnes homines salvos fieri, & necessariam cognoscere veritatem. Propterea præparavit omnibus, disposuit & offert omnibus prorsus hominibus media & auxilia ad salutem suam indispensabiliter necessaria, nec est mortalium ullus, cui aut illa denegaverit, aut deneget usque modo. Hominis igitur est, cum adjutorio & gratia a Deo ipsi sufficienter sub-

mini-

ministrata, ut ut revelatæ Religionis, ut incredulus supponit, esset ignarus, ea omnia remove obstatula, quæ ipsum perfecte adimpleta Lege Naturæ impedire possent. Posito igitur, quod sufficientibus hisce auxiliis perfecte naturæ Legem adimpleret, Deus certo certius, sicut Centurioni Cornelio *a*) misit Petrum, mittet & Præconem quendam, qui ipsum in revelato Dei verbo instrueret. Ha! exclamat Roussojus, ut in libro priori audivimus, hæc illa *pulchra Machina*, Thomæ Angelici somniatus *Angelus!*

X. Legitne Roussojus Angelicum Doctorem? Tam parum ac illi, qui in similes dissolvuntur Cachinnos. Audiant igitur, quid dicat? „Dicendum ad primum, ait, *b*) quod non sequitur inconveniens, posito, quod quilibet teneatur explicite credere, si in sylvis, vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad Divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet pro videat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediuntur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, sicut misit Petrum ad Cornelium Act. 10. „Ecce *Machinam Angelum*, quem tot insulsis ignorantes Increduli, qui S. Thomæ opera nec legerunt nec viderunt, rident

D d

dicte

a) Act. X. C. *b*) QQ. Disp. Q. XIV. de veritate, quæ est, Art. 2. de fide.

dicteriis & vituperiis: sed audiamus cetera: „ Ad se-
 „ cundum dicendum, quod quamvis non sit in pote-
 „ state nostra, cognoscere ea, quæ sunt fidei, exno-
 „ bis ipsis, tamen, si nos fecerimus, quod in nobis est,
 „ ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, cum
 „ auxilio gratiæ, Deus non deficiet nobis ab eo, quod
 „ nobis est necessarium. „ Hæc sunt verba Angelici
 Doctõris. Ubi igitur illa delusa & irrita Angeli ma-
 china? Quid autem rident Increduli? Deum ipsum de-
 rident. Etenim cum id, quod ipsi tribuimus, semel
 fecisse, Divinum testetur verbum, quare non idem
 ipsum in simili occasione facturum, pie confidamus &
 asseveremus, cum paria haberet motiva? Verum ergo-
 ne inde, quia brevissimus intellectus noster non capiat
 Divinitatis agendi modum, nos Divinam veritatem re-
 velatam in dubium vocare, aut prorsus abjicere pos-
 sumus? Ergone nostrum est, distributionem donorum
 & gratiarum vocare in examen, & eorum decernere
 mensuram. Quid agitamus & torquemur de infidelium
 forte? Dicam, quid nostri sit: Nos Religionem & Verita-
 tem revelatam, quæ nobis annuntiata fuit, cum pro-
 fundo humilitatis obsequio, & cum reverenti gratitu-
 dinis cultu admittere & amplecti oportet, etenim om-
 nes Authenticitatis, Veritatis, & Divinitatis characteres
 in ea deprehendimus, igitur de Factorum certitudine
 omnino persuasi & securi esse possumus. Qui eam am-
 plecti recusant, contra Authenticitatem, Veritatem &
 Divinitatem argumentis positivis pugnare deberent. Ad
 prætentam injustitiam, cujus Deus se faceret reum, si
 ad

ad salutem necesse foret, revelationem credere, quam
 tamen tot hominum millia cognoscere nequeunt, ef-
 fet quæstionem declinare non autem resolvere. Hoc
 est in Deum ipsum convertere arma; Hoc est præten-
 dere, abyssum justitiæ potentiæ & bonitatis suæ rimari
 velle. Hoc est, ad infirmæ rationis tribunal actiones
 Dei additare; Hoc est infinitam Dei sapientiam inutili-
 bus tentare quæsitis; Hoc denique est, Deo præscribe-
 re leges agendi, & modum salvandi creaturas. An
 non detestanda hæc sit impietas atque temeritas, diju-
 dicent ipsi.

S. II.

*Ea, quæ ab Incredulis contra S. Evangelii
 Dogmata & Doctrinam ejus moralem
 objiciuntur.*

I. **P**lurima sunt Dogmata Evangelii, inquit,
 quæ nec concipi, nec intelligi possunt, ergo
 minus ab homine rationis compote credi. Non so-
 lum autem sunt in comprehensibilia, sed & sæpe ab-
 surda, sacræ rationi prorsus contraria, imo sæpe pal-
 pabiliter contradictoria. Qui igitur Divina dici pos-
 sunt? Si spectamus moralem Evangelii Doctrinam, quis
 in Historiis adeo jejunus, ut ignoret, ejus observa-
 tiam societatis humanæ & statuum felicitati infensissimam
 esse? Quis ignorat Evangelii Leges sanguinarias tot se-
 ditiones & turbas, tot bella & strages movisse & in-
 tulisse


tullisse? Quis non capit, Evangelicis præceptis, si ad literam ea implere necesse est, homines reddi stupidos & inertes, & artibus, scientiis, commercii, & quæ sunt alia societatis humanæ bona, promovendis profusus fieri inhabiles & impares?

II. Equidem quoad Dogmata jam in libro priori Capite secundo & tertio, ubi de Revelationis possibilitate & Existentiâ verba fecimus, ejusmodi incredulorum Sophismata discussimus & excussimus; Verum cum hic proprie esset locus, ubi, quid contra Religionis Christianæ Divinitatem Incredulorum machinetur perversitas, audiamus, attamen, cum hæc & similes contra Religionem Christianam querelæ, vel potius injuriæ paulo fusiores & rigidiores mereantur disquisitionem, præcipue quoad Evangelicam moralem Doctrinam, in qua & illi, qui Christianos se dicunt, sed Catholici audiri nolunt, cum ipsis incredulis eandem inflent contra Religionem Christiano-Catholicam Tubam, æquum duximus, ut similia incredulorum & Protestantium Sophismata & dubia in alteram Libri hujus partem rejiciamus, ubi de Sublimitate Dogmatum, & de Doctrinæ Religionis Christiano-Catholicæ puritate ex officio & ordine locuturi sumus, ne disjunctim, ea, quæ hic dicerentur, ibi repetere debeamus.

§. III.

§. III.

Dissolvuntur conglobata Incredulorum contra Librorum N. T. Divinitatem argumenta.

I. vangelia, inquit, cum narrant facta & dicta Jesu Christi, ut ipsum prænuntiatum ostendant Messiam, mutuantur, aut saltem producunt Prophetias Librorum V. T., quasi de ipso aut pro ipso dictæ & prædictæ fuissent. Verum cum aperimus antiquum Prophetarum Codicem, aut neque vestigium reperimus, aut longe aliter scriptum & vaticinatum deprehendimus, ubi nunc igitur prætenfa Evangeliorum Divinitas? Sic in Evangelio scriptum legimus: a) *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Sed ubi Scriptura hoc dicit? Legimus: b) *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Ubi Scriptura hoc dicit? Rursus legimus: c) *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur; Os non comminuetis ex eo.* Ubinam Scriptura hoc præcipit? Fuit equidem Cerecmonia Hebræorum in comestione agni Paschalis observanda, sed quis inter hanc, & Paganorum, cum frangerent crura, omissionem nexus? Rursus legimus: d) *Nunquam legis, ait Jesus: quid fecerit David . . . quomodo introiit in Domum Dei sub Abiathar Principe*

D d 3

Sacer-

a) Joan. VII. 38. b) Joan. XIX. 28. c) Ibid. v. 36. d) Marc. II. 25. 26.

Sacerdotum; ubi autem hoc legere poterunt, cum Scriptura dicat, non Abiathar sed Achimelech summum fuisse Sacerdotem, cum David manducaret cum suis panes Propositionis? Legimus quoque: a) *ut veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justus usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachi*; cum tamen Scriptura dicat, b) *Zachariam fuisse filium Joadæ non Barrachizæ*. Denique Evangelium dicit: c) *Et veniens habitavit in civitate; quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur*. Quæ tamen verba nullibi scripta leguntur. Magno igitur ex his aliisque Evangelii textibus clamore inferunt: d) *Ecce sic Evangelia Prophetis inædificarunt, quas pro suo genio fabricarunt; Verum eversa impostura, ruit moles & machina*.

II. Verum videamus, an ex parte Evangelii, aut potius ex ipsorum parte conflata sit impostura. Supposita semel veritate, alibi demonstrata, Prophetias Principales V. L. in Christo Jesu ad literam fuisse adimpletas, quin ipsæ alteri ac Personæ Jesu Christi possent adplicari; nonne stultum esset & temerarium, prætere velle, alias Prophetias in aliis literaliter adimpletas quoque Jesu Christo mystice & allegorice tribui non posse? præcipue cum Evangelistæ illas non ad stabilien-

a) Matth. XXIII. 35. b) Paralip. XXIV. 22. c) Matth. XI. 23. d) Lettres sur Le Religion essentielle à l'Homme.

biliendam veritatem adducant. Nosse oportet Orientalium & Hebræorum scribendi fuisse stylum, ut libros suos typis, allegoriis & Metaphoris, alisque allusionibus ornare consueverint; Quid igitur miri, S. Matthæum, & S. Marcum, qui prioris vestigia pressit, Hebræorum imitatos fuisse stylum, cum prior in Hebraico idiomate suum scripsisset Evangelium? His præsuppositis ad ea, quæ objiciunt, singula respondeamus. Si increduli integrum Joannis adduxissent (ut bona exigit fides) textum, vidissent ubinam scriptum sit, *fluent aqua cæ*. Sic etenim adjungit Evangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; quod si igitur aperuissent Isaiam Prophetam, vidissent, ubi scriptum sit: a) *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam; Effundam Spiritum meum, super semen tuum cæ*. Et apud Ezechielem: b) *Et effundam super vos aquam mundam . . . & dabo vobis sor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri*. Sic cæci manu deduci debent, ut videant. Quoad alterum necesse non fuit, ut verba Christi in Prophetis legerentur: *Sitio*, sed sat est, ut Evangelista in narratione sua ad sitim Messiæ alluderet, quam in Christi Typo scil. Davide comperit dicente: c) *Et in Siti mea potaverunt me aceto*, quæ verba, eum in Davide nullibi reperiantur impleta, recte de Christo aceto potato ab Evangelista citaatur. Quoad illud, quod de agno Paschali, cujus os confringere non licuit, In-

D d 4

cre-

a) Isa. XLIV. b) Ezech. XXXVI. 25. 26.

d) Psalm. LXVIII,

creduli adferunt, multum hallucinantur; velut etenim hic Agnus Paschalis Hebræorum fuit vera & fat clara Jesu Christi ceu Agni Paschalis in cruce immolandi figura, sic & satis apte ab Evangelista aditari poterat, non Ceremonia sed præceptum Domini: *nec os illius confringetis; a)* attamen noverint, quoque de Christo Prophetiam adesse dicentem: *b) Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.*

III. Progrediamur ad ceteras Incredulorum argutias. Non Abiathar, inquit, sed Achimelech erat Summus Pontifex, dum David domum Domini introiret. Quid autem ait S. Evangelium? *Sub Abiathar*, inquit, *Principe Sacerdotum*; igitur ajunt interpretes, non sub Summo Pontifice, sed sub Abiathar Sacerdotum Principe, qualis utique inter Sacerdotes erat Abiathar, quia Pontificis erat filius, hinc per Principatum quendam ab inferioribus Sacerdotibus distinctus. Si regerunt, versiones quasdam ipsum Abiathar in sensu Evangelii Summum compellere Pontificem; ne hoc abest, ait Seldenus, *c)* cum Scriptorum Stylus esset antiquorum, ut filiis Pontificum tam distinctum Summi Pontificatus tribuerent nomen & Titulum, cum ipsi vivente adhuc Patre ejusdem summis fungerentur officiis, solum Summis Pontificibus competentibus. Verum relegamus textum: *David*, inquit, *introivit in Domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum*; Quid hic pro-

a) Exod. XII. 46. *b)* Psalm. XXIII. 21. *c)*
De Success. Pontif. L. I.

proprie adferitur, quam Davidem tempore Abiathar Sacerdotum Principis manducasse panes sanctificatos? Abiathar ceu Sacerdotum inferiorum Principem tunc temporis extitisse, quis inficias ire poterit? aut forsitan increduli opinantur, Abiathar tunc infantem fuisse? Legant si velint, primi Regum Libri caput XXII. & comperient paulo post Achimelech a Saule occiso Abiatharum Supremum Pontificatus Fastigium conscendisse. Videbunt igitur, si rem non livido dispiciant oculo, omnem Anachronismum prætensum esse sublatum. Et quid vetat dixisse, Davidem non in Achimelechi, sed in filii ipsius Abiathari ejus vices in hac parte gerentis Domum Dei ingressum fuisse, & panes Propositionis ex ejusdem manibus recepisse? Sic & ea, quæ de Zacharia in templo occiso struunt dubia, multiplici responso diluere possumus. Primo etenim non satis clare adparet, Jesum Christum illum inter templum & altare occisum Zachariam Barachizæ compellasse filium; testatur enim S. Hieronymus, in Evangelio Hebraico, quo utebantur Nazaræi, non Barachizæ sed Jojadæ filium vocari Zachariam. Quodsi igitur Evangelium Nazaræorum fuit ipsum S. Matthæi Originale, ut multi contendunt critici, & ut supra audivimus ex ipsis dedicerat Tollandus, licet falsissimum sit, illud Calabriensium Semi-Turcicum Evangelium, S. Barnabæ inscriptum, fuisse genuinum Nazaræorum Evangelium, igitur omnis sublatus est error, aut erroris suspicio. Verum quodsi sublestum Incredulis hoc videretur argumentum, quid vetat, adferere Zachariæ Patrem quo-

que Jojadam compellatum fuisse, cum hæc nomina in lingua Hebraica prorsus significant idem: cum primum *laudem*, alterum *Benedictionem Dei* importet. Aut quid est novi, in Idiotisimis Hebraicis unam eandemque Personam plura ejusdem significationis nomina habere? Nunquid, ait laudatus Seldenus, filius Josiæ Regis Juda & Eliachim & Joachim compellabatur? Et nonne sub Rege Manasse idem Summus Sacerdos & Heli, & Helcias & Joachim, & Eliachim vocabatur? Quid demum, si dicamus, ab uno alterove copiatore aut Traductore, cum hæc nomina significarent idem, unum pro altero positum fuisse nomen, cum in Nazaræo codice legamus Jojadam?

IV. Sed, inquit Increduli, hæc meræ sunt conjecturæ, creditisne autem conjecturis dubia dissolvi posse? Sic est, dissolvuntur penitus. Conjecturæ enim tot solidis firmata argumentis metipso valida in Historiis evadunt argumenta. Ostendant, quæ diximus, aut esse falsa aut incongrua, & tunc meras derideant conjecturas. Procedamus denique ad ultimum eorum dubium jam alibi solutum. Nullus, inquit, est Prophetarum, qui Christum sive Messiam Nazaræum futurum diceret, imo Christus se talem non esse aperte probavit, cum biberet vinum, a quo abstinebant Nazaræi. Quis ergo Prophetarum de Christo similia dixit? Repeto, quæ alibi cum famoso Scriptore dixi, non dicit Evangelium, Prophetam, sed Prophetas hoc dixisse, non dicit Prophetas scripsisse sed dixisse,

se. Deinde Evangelistæ, sicut & eorum Doctor & Magister ipse Jesus Christus, non solum scriptum, sed & traditum Prophetarum verbum in testimonium adferbant; Distinguant quoque, Evangelistas alio fuisse stylo usos, cum vellent firmare mysteria, alio cum suos vellent ornare sermones. Notent quoque sibi Nazaræi nomen & ab Hebraico vocabulo Netzer, quod florem denotat, & a vocabulo Nazir, quod *Separatum* aut *consecratum* importat, desumi posse. Licet igitur a nullo Prophetarum Christo aut Messia Nazaræi nomen explicite & expresse tributum reperiamus, attamen, in quacunque significatione illud accipere vellemus, utrumque a Prophetis de Christo vaticinatum deprehendemus, Si accipimus florem a Netzer, ecce Isaiam dicentem: *Flos de radice Jesse ascendit*; si desumimus a Nazir sive a Separatione & Consecratione, sane, qui Messiam prædicarunt Prophetæ, eum separatum & consecratum sive sanctificatum laudarunt. Aut quid abest dicere, Evangelistas ad Propheticas alluisse Figuras, quales utique & Joseph & Samson & Samuel fuere, qui proprie Nazaræi & Christi figuræ dici merentur. Et hæc ad ipsorum dubia sufficiant responsa.

§. IV.

Incredulorum contra Prophetica Evangelii oracula calumnie reprimuntur.

I. *Alibi* audivimus Authorem Examinis multo strepitu contendere, Prophetarum oracula non-

nonnisi humanum esse Enthusiasinum, qui generalia quædam mala aut prospera prædicere videatur, quæ quandoque casu adimplerentur. His Euremondi vestigiis Increduli incedentes adferere non erubescunt, Prophetias & oracula in N. T. Libris, ut nos prætereundum placeret, nonnisi generalia, vaga, indeterminata, & ad nullum Personarum propriæ genus & ad nullum determinatum locum aut tempus respicere, sed solum quædam in genere mala aut bona in illis Libris descripta nos Christianos fanatico quodam Spiritu & instinctu ad ea, quæ fortuito obviant, detorquere; igitur eorum sic dictis Prophetiis prorsus nil Divinitatis aut erui aut demonstrari posse.

II. En, quousque Incredulorum temeritas progrediatur. Ea, quæ in antecedentibus de Judæorum Reprobatione, de Hierosolymorum destructione, de gentis hujus desolatione, de Apostolorum eorumque Sequacium persecutione, de Gentium conversione, de Ecclesiæ Jesu Christi erectione & stabilimento, tum ex ipsius Jesu Christi verbis produximus, & ex Historiis adimpleta ad literam comprobata monstravimus, sane Incredulorum impudentia ore obstruere, sufficiunt. Quid igitur Responsi merentur similes contradicendi pruritus? Quid autem si ex his ipsis N. T. Libris eorum infamiam & contradicendi pruritus, imo ipsorum dogmata & mores, vitam & audaciam apertissime vaticinatam ob oculos ponam, ita ut suo proprio vincantur testimonio, Evangelica Prophetarum oracula non

non esse vaga, sed ad personas, locum & tempus determinata vaticinia. Inspiciant igitur, si velint, propriam imaginem suam a Jesu Christo & Apostolis suis ad vivum & graphice descriptam & delineatam. *Attendite*, inquit Redemptor noster, a) *a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces*: Quinam sunt hi falsi Prophetæ, quam illi, qui sub pelle ovina prædicantes felicitatem & beatitudinem humanam, & blandientes corruptæ naturæ, sensibus & sensualitatis nonnisi ad deliciarum & voluptatum pascua invitant, sed nonnisi propriam quærentes utilitatem, & nonnisi animarum perniciem intendentes, intrinsecus lupos rapaces, extrinsecus ovinas pelles præferunt. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, ait Pastor noster. b) *Quinam autem sunt fructus eorum?* c) *Clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare . . . circuitis mare & aridam, ut faciatis unum Proselythum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo quam vos. . . . Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes . . . mundatis, quod desoris est, intus autem pleni estis rapina & immunditia . . . qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*. Sicut factum est in Diebus Noe, ait S. Lucas, d) *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam, &*

venit
a) Matth. VII. 15. b) Ibid. v. 16. c) Matth. XXIII. 13. seq. d) C. XVII. 27.

venit diluvium, & perdidit omnes; Similiter sicut factum est in diebus Loth. Edebant & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant & edificabant; quo die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem & sulphur de caelo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die filius hominis revelabitur.

III. Eandem depinxit imaginem Apostolus disputans cum Stoicis & Epicuræis Athenis; a) Quidam enim Epicuræi & Stoici Philosophi deserebant cum eo (ut increduli cum Dei Ministris disputare amant) & quidam dicebant, quid vult Seminiverbius hic dicere? Alii vero, novorum Dæmoniorum videtur annuntiator esse, quia Jesum & resurrectionem annuntiabat eis, & apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quæ hæc nova, quæ de te dicitur doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris, volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse. Athenienses autem omnes (Philosophorum nostrorum Ectypa) & advenæ hospites ad nil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiones vos video (ac me judicatis) Præteriens enim & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat (in cordibus eorum) Ignoto Deo. Quod ergo ignorantem colitis, hoc annuntio vobis . . . cum audiissent autem quidam resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam dixerunt, audiemus te de hoc iterum. Et ad Ro-

a) Actor. XVII.

manos scribens, hæc est, quam Incredulorum imaginem refert: a) Ita ut inexcusabiles sint, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor ipsorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. . . Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominie cet. Et ad Timotheum scribens, ait: b) Rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiarem quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quam adificationem Dei, quæ est in fide. . . a quibus quidem aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et rursus ad eundem Timotheum c) Erit tempus, ait, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria concervabunt sibi Magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Et ad Colossenses scribit: d) Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Apostolus quoque Judas hos inanes Philosophos sequentibus depingit verbis: e) Subintroierunt quidam homines . . . impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Jesum

a) Ad Roman. C. I. 20. seq. b) Ad Timoth. I. 3. seq. c) Ad Timoth. IV. 34. d) Ad Coloss. C. II. 8. e) Judæ Epist. 4. seq.

Jesum Christum negantes. . . . Hi autem, quæcunque quidem ignorant; blasphemant; quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. . . . Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. Vos autem charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus; Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes . . . & hos quidem arguite judicatos. Dicent equidem increduli, has Philosophorum imagines fuisse a Christo Jesu & Apostolis suis in pervicacibus Judæis, Neophytis Græcis, & Philosophis Paganis temporum suorum adumbratas & adimpletas. Verum si perpendant ea; quæ S. Hieronymus de Scripturæ Sensu docuit, inquires: a), Hic Sacræ Scripturæ usus est, ut in Symbolis rerum præsentium præfiguret veritatem rerum futurarum. Et quod verba Scriptorum Divinitus inspiratorum ordinarie duos referant sensus, b) unum, qui objecto & tempori proximo congruit, alterum,

a) S. Hiero. Comm. in Daniel. C. XI. b) Grot. in Matth. C. XXII.

terum, qui ad remotiora & similia se refert objecta & tempora. Sit igitur, quod Christus obstinaces Judæos, & Apostoli Neophytos Græcos & Philosophos Paganos perfrinxerint; Dicendum tamen videtur, quoque eorum hic expressam imaginem fuisse, qui ipsi sunt simillimi. Neque ego sum, qui Incredulorum mores vaticinatos, sed solum in imagine depictos pronuntio. Quid & tum esset, si propheticas imagines dicerem? Accesserant discipuli ad Jesum: dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi? Inter alia signa quoque hoc dedit eis: Multi Pseudo-Prophætæ surgent, & seducent multos; & quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et demum subjungit ea, quæ supra de temporibus Noe & Loth retulimus, quorum vita & mors merito sæculi nostri imago poterunt compellari; non igitur solum de temporis sui pervicacibus & impiis Judæis, sed & de impiis illius sæculi propheticos suos retulit sermones, inquires: a) Ita erit & adventus filii hominis. Ipse quoque laudatus Apostolus Judas aperte testatur, imaginem suam non temporis sui, sed futuri adumbrare Philosophos, aperte pronuntians in novissimo tempore venturos esse hos illusores, quos adeo distinctis depinxit coloribus, ut nostros, si conferamus, depictos absque omni injuria & calumnia, quam longe a nobis abesse cupimus, Philosophos arbitrari possimus. Audiamus pro Coronide Apostolum Petrum ita scribentem: b) Fuerunt vero & Pseudo-Prophætæ in populo, si-


E c

cut

a) Matth. XXIV. 3. seq. II. Petr. I.

cut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis (Ecce non de suis sed de futuris loquitur temporibus) & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celere perditionem; Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur. . . Novit Dominus pios de tentatione eripere, im quos vero in diem judicii reservare cruciandos; Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditia ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, Sectas non metuunt introducere blasphemantes. . .

Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captivum & in perniciem in his, quæ ignorant, blasphemantes in corruptione sua peribunt; Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ deliciis affluentes, in convivii suis luxuriantes vobiscum. . . Hi sunt fontes sine aqua, & nebula turbini- bus exagitata, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conservantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis, a quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Legant Increduli, & si non suo, quia se despicios esse nolunt, saltem alieno periculo sapiant.



CAPUT DECIMUM

POSTREMUM RELIGIONIS CHRISTIANÆ EJUSQUE PRÆ- ROGATIVARUM TESTIMONIUM AB HEBRÆIS ET PAGANIS DE- SUMPTUM.

Iterum Divinæ Providentiæ Signum est, quod etiam infensissimi Religionis Christianæ inimici præclara de ejus Authenticitate, Veritate & Divinitate in suis, quos posteris reliquerunt, scriptis clarissima testimonia ferant. Hæc postrema Prærogativarum, soli Religioni Christianæ propriarum Demonstratio fortissima & invincibilis est, cui, quid increduli obmoveant, prorsus non reperiunt. Sunt etenim Hebræi & Pagani, quorum armis Sacratissimam Religionem nostram increduli impetere & oppugnare, ut hucusque conspeximus, ausi fuerant. Sin autem ipsa eorum testimonia pro veritate & Divinitate Religionis nostræ decertant, ipsis consensum & auditum negare non possunt, quia in illos nulla aut falsitatis aut partialitatis suspicio cadere potest. Audiamus igitur novos hos testes.

SECTIO PRIMA.

RECENSENTUR HEBRÆORUM PRO FIDE CHRISTIANA TESTIMONIA.

Seumias Rabbini, qui quinquaginta annos ante Christum natum in Bethlehem inter Judæos floruerat, de hebdomadibus Septuaginta Danielis differens, scribit, *antequam quinquaginta anni effluerint, hoc oraculum adimpletum videbunt.* Quod autem præciso eo tempore, ubi Christus in carne comparuit, communis Judæorum de actuali Messiae adventu opinio fuerit, supra Hebræorum & Paganorum testimoniis monstravimus. Legimus in Thalmude Judæorum „quando „ comparuerit Messias, parvum Hebræorum numerum „ futurum esse, qui ipsum agnoscerent; Messiam vero „ Nationis suæ corpus repudiaturum esse, & ipsum „ Messiam lapidem offensionis duabus domibus Israel „ fore, & causam ruinæ Habitantium in Jerusalem, „ & tunc Judæos ingentibus malis opprimendos esse. In eodem Thalmude in Tractatu de Synedrio p. 43. sequentia leguntur: „ In Vigilia Paschatis Jesus est crucifigetur, per quadraginta autem dies, antequam crucifigeretur, per publicum Præconem clamari fecerunt „ (scil. Senatores Synedrii) Jesum lapidandum fore, „ eo quod magicas exercuerit artes, populum Israel „ seduxerit & induxerit ad cultum profanum; Quodsi „ quis-

quispiam noverit, in quo eum accuset, hoc publice denuntiet. Et cum non esset, quod in ipsius defensionem faceret, ipsum in Vigiliis Paschatis capi & damnari curarunt. „

Quis non videt, ex hoc Thalmudis testimonio supra relatam fabulam *Sephor Toldos Jeschu* excissam & confarminatam fuisse? sicut & aliam a Judæis conflantam, quam Uldric publicavit, & ex qua Bagnagius in sua Hebræorum Historia diversa retulit. In his fabulis, ut ut absurdis, videmus tamen trium importantium veritatum confessionem quasi vi extortam; scil. *primo* confessionem miraculorum realiter a Christo patratorum, *2do* Multiplicationem Discipulorum subito post Christi mortem non solum in Judæa, sed & Romæ ac in Romano Imperio. *3tio* Miraculorum a Discipulis patratorum. Et eo ipso quod dicant, per ineffabile Nomen Dei Jesum Christum miracula fecisse, miraculorum veritatem testantur, quia antiqua est Hebræorum fides, & in ipso legitur Thalmude, quod si quis noverit ineffabile nomen Dei *Sem - Hammaphoras*, alterum possit mundum creare, & miracula, quæ voluerit, patrare. Ab initio Sæculi quarti Josephus quidam Hebræorum Apostolus ad probandam Jesu Christi potentiam sparsit aquam signo crucis benedictam super Energumenum quendam, & jussit Dæmonem in Nominis Jesu Christi Nazaranus ex obsessio discedere. Obtemperavit, & discessit. *a)* Spectatrix erat urbs Thiberias;

E c 3

a) Præfat. in Extractions de Thalmud P. E-cckard.

berias; Hebræi, quorum ingens copia in civitate erat, Prodigii veritatem cum negare non possent, delirantur dicentes: „ Joseph aperuit Thesaurum Patriarchæ no- „ stri, invenit ineffabile nomen Dei, novit legere, & „ hoc nomine tanta miracula patrat. „ Cum igitur prædictæ fabulæ referant, Jesum hoc Nomine miracula patrasse, igitur eorum veritatem contra Incredulos invicte probant. Repetere nolo celebre Josephi Hebraici Scriptoris testimonium, quod supra retulimus, & vindicavimus contra Incredulorum Crisin.

Tertullianus in libro suo contra Judæos a) aperte testatur, Judæos suo tempore minime negasse, Jesum vera miracula patrasse; & S. Joannes Chrysostomus in Psalmum VIII. ait: b) *Judæos dicere, ideo se Christum crucifixisse, quia Inpositor fuisset, & miraculorum patrat.* Et S. Isidorus in Sermone de Nativitate Domini c) refert, *Hebræos, si ipsis miracula Christi objicerentur, ea minime negare, sed respondere, etiam alios Prophetas similia fecisse.* Confitebantur igitur, Christum Prophetam fuisse, & miracula patrasse.

In Libro quodam, cui titulus est: *Dissertatio inter Ecclesiam & Synagogam*, qui olim S. Augustini credebatur opus, & hodie ad Calcem Tomi VIII. operum hujus Sancti rejectus reperitur, Ecclesia Synagogæ objicit: „ Christum venisse, mortuos resuscitasse, mutis „ linquam, claudis gressum, cæcis visum, infirmis „ salutem, leprosis munditiam restituisse, sed Syna- „ gogam ipsum agnoscere noluisse. Synagoga hæc „ mi-

a) C. VIII. b) N. III. C. V. c) C. XVII.

„ miracula & facta non negat, Resurrectionem autem „ a mortuis & ascensionem in cælum, dormientium „ Custodum testimonio innixa, rejicit.

In celebri Disputatione, quam Gilbertus Abbas Westmunstrensis initio Sæculi XII. Moguntiæ cum quodam Judæo publice instituit, a) Hebræus ad explicandam Isaïæ Prophetiam: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & nomen ejus vocabitur Emmanuel*, provocatus, in hunc modum disseruit: *Lubentes concedimus, hic de Christo Sermonem esse. Hic adeo gratus & Dilectus erit Deo, in quo & per quem potentiam suam Divinam communicabit, h. e. vera miracula patrabit.*

Wagenseilius alium Hebraicum in lucem edidit librum, qui Sæculo XII. sub Titulo *Nizozochon* h. e. *Victoria* prodit. In hoc libro omnia recipiuntur Christi miracula, sed per magicas artes fuisse patrata dicuntur. In actis quoque S. Plonii dicunt Hebræi, Christum exercitasse artem Nigromanticam, & per eum miracula fecisse.

Possent equidem adhuc plura Hebræorum adferri testimonia, in favorem Religionis Christianæ, licet invite relata. Sed hæc sufficiunt, ad comprobandam Evangeliorum veritatem, & Jesu Christi, vera miracula patrantis, confirmandam Divinitatem. Quamquam enim, ut subterfugiant veritatis convincentis pondus, delirent, hæc miracula confessione sua propria firmata, non Divina potentia, sed vel per ineffabile

E e 4

Dei

a) Habetur in Opere S. Anselmi edito a P. Gerberon.

Dei Nomen, vel per artes magicas fuisse a Christo patrata, nemo tamen est, qui subterfugii hujus ridiculam absurditatem non videat. Demonstratum satis est, vera miracula non nisi Divina potentia patrari posse; Dæmones vero non per Dæmones ejici, nec per artes magicas, mortuos atque sepultos ad vitam posse suscitari. Rejctis igitur Hebræorum ineptiis firmum, ratumque stat ex eorum testimoniis, vera & Divina, atque authentica esse, quæ Sacra de Jesu Christo ejusque Apostolis Christiana narrat, creditque Religio, Paria sunt Gentilium sive Paganorum pro Religione Christiana Testimonia.

SECTIO SECUNDA.

REFERUNTUR PAGANORUM DE RELIGIONIS CHRISTIANÆ PRÆRO- GATIVIS TESTIMONIA.

I. **M**ultos Romanos extitisse in Judæa, cum Christus sua patraret prodigia, dubitare non possumus, per eos Christi famam transiisse ad Gentes, pariter certum & exploratum videtur. Jam supra retulimus, & Tacitum, *a)* & Suetonium *b)* narrasse, communem tunc opinionem viguisse, constare ex Prophetiis & antiquis Hebræorum Libris, hoc circa tempus Messiam ex Judæa esse processurum. Pariter retulimus, Suetonium, qui fuit Secretarius Status sub Impera-

a) L. V. Hist. *b)* In Vespasiano C IV.

peratore Hadriano circa annum Christi CXVIII. & fidelissimam duodecim Imperatorum vitam conscripsit, *in vita Neronis a)* recensuisse, quod *Christiani, genus hominum, ut ait, Superstitionis novæ ac maleficæ, supplicii fuerint afflicti.* Et in vita Claudii *b)* ait, sub hoc Principe Hebræos Romæ ob tumultus fuisse expulsos; e quibus expulsis Apostolus invenerat Aquilam cum Priscilla sua uxore Corynthis Roma adventatam; quem autem latet, Romanos tunc temporis cum Hebræis Christianos confudisse, quia ex Judæa prodierant. Igitur jam tempore Claudii, qui sexto aut septimo post Christi mortem anno regnare cœperat, Christiani Christi que nomen Romæ celebre fuit.

II. Hoc quoque testatur Tacitus, qui floruit anno Christi XC. Erat Prætor Romanus sub Domitiano, postmodum Consul, & Annalium Scriptor; hic igitur Libro Annalium XVII, *c)* sic scribit: *Auctor nominis ejus (Christiani) Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio (scilicet crucis) affectus fuit.* Refert & ea, quæ supra de Tyrannide Neronis in Christianos exercita ex ipsius vita Neronis excerptimus. Ex quibus Taciti testimoniis legitime deducimus, Imo sub Imperio Neronis ingentem Christianorum multitudinem fuisse Romæ afflictam. *2do* Christianos nomen suum a Christo sub Tiberio crucifixo sortitos fuisse; Verum igitur *3tio* esse, quæ S. Evangelium de morte Jesu Christi sub Pontio Pilato refert.

Eo 5

Cha-

a) C. XVI. *b)* C. XXV. *c)* C. XLIV.

Chalcidius Philosophus Platonicus in suo super Thymæum commentario hæc habet: „ Quod Deus, qui
 „ omnem nostram meretur venerationem, in solum hu-
 „ mani generis bonum de cœlo sit delapsus; Quod ingens
 „ beneficium ab ipso cœlo hominibus fuerit annuntia-
 „ tum per apparitionem novæ stellæ, quæ non mortem,
 „ non luem, sed Salvatoris hujus Dei indixerit de-
 „ scensum. Et quod Chaldæi tum Sapia, tum
 „ Astrorum peritia notissimi, hanc stellam novam, e-
 „ jusque motum nocturno examine observantes, sese
 „ resolverint, hunc Deum hac stella annuntiatum,
 „ & mox natum inquirere; & quod eidem reperto ob-
 „ tulerint Vota & homagia Majestatem tanti Numinis con-
 „ decencia, quanquam ejus Majestas sub figura pusionis
 „ fuerit cooperta.

III. Phlegon Libertus Hadriani nativitate Tral-
 lanus in Civitate Lydiæ inter alia egregia opera scripsit
 Historiam Olympiadum, opus ab eruditis multum æstu-
 matum, & in sexdecim libros divisum, e quibus solum
 quædam supersunt fragmenta; vixit autem usque ad an-
 num Christi CLVI. In hoc igitur opere de Christo
 scripsit: „ Jesus Christus verus fuit Propheta, qui mul-
 „ ta futura novit atque prædixit, & prophetiæ ipsius
 „ ad literam sunt adimpletæ. Verificata est & illa A-
 „ postoli Petri, quam Judæis de proxima eorum rui-
 „ na, & illa, quam de Hierosolymorum destructione
 „ prædixit. Res, quæ non nisi ut effectus potentiæ
 „ cujusdam supremæ & voluntatis, Divinæ considerari
 „ potest.

„ potest. Postea de Eclypsi ultimo Olympiadis CCII.
 anno facta differens, interprete S. Hieronymo hæc re-
 fert, *Quarto autem anno CCII. Olympiadis* (qui est an-
 nis Tiberii XVIII., in quo Christus fuit cruci suffixus)
magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant,
defectio solis facta. Dies hora sexta (quæ est meri-
 dies) *ita in tenebrosam noctem versus, ut stelle in cælo*
visæ sint, terræque motus in Bythinia Nyceæ, urbis multas
ædes subverterit. Quam solis defectionem & terræ mo-
 tum eodem emortuali Redemptoris die hora sexta con-
 tigisse, Sacrum refert Evangelium. Ex confessione
 autem omnium Astronomorum in decimo octavo Ti-
 berii anno naturalis quædam Eclypsis contingere non
 potuit; igitur hæc Eclypsis, ut solius potentiæ Divinæ
 effectus, potest debetque reputari, qui per aliquot
 horas systema universi in luminosissimam Messæ mo-
 rientis Dietatis probam evertit; quæquæ semper adeo
 robusta & evidens fuit, ut neque Julianus, neque Por-
 phyrus, neque Celsus, aliique Pagani, quod oppo-
 nant, invenerint. Trallus quoque Author Græcus,
 Phlegonte antiquior, in Libro tertio Historiarum Sy-
 riacarum adnotavit, *in decimo octavo Tiberii anno in*
pleno meridie tenebris subitaneis mundam universum invo-
lutum fuisse, ut refert Africanus, qui ait, Annales po-
 puli Romani & publica Romanorum & Provinciarum
 Registra hujus Eclypseos conservare memoriam. Inde
 non mirum, quod Tertullianus Christianorum causam
 agens Ethnicos provocaverit, inquiens: a) *Eodem mo-*

men-

a) In Apologet.

mento dies medium orbem signante sole subducta est; Delinquim putaverunt, qui id quoque super Christo predicatum non scierunt, & tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis. Sic & S. Lucianus Presbyter Antiocheus, qui Martyrium Nicodemæ anno CCCXII die 17 Januarii subiit, ad Judicem ductus, se confessus est Christianum, & quare esset, rationes enumerans inter alia (Eusebio & Ruffiuo in Chronicis testibus) ait: *Consulite Annales vestros, invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum solem & interruptum diem.*

IV. Deposuerat quoque Pilatus in Archivis Romanis Relationem vitæ, miraculorum & mortis Jesu Christi & factorum, quæ in Judæa & Hierosolymis acciderant, secundum consuetudinem Romanorum, ut quilibet Præses & Procurator, quidquid notatu dignum in Provinciis sibi subjectis contingeret, Imperatori referrent. Hæc facta Pilati sæpius a S. Justino, a Tertulliano, Eusebio, aliisque pro re Christiana scribentibus citata, & Paganis objecta fuere; in his etenim Actis continebantur Miracula, causæ & circumstantiæ mortis, Resurrectio & ascensio & Miracula Discipulorum Christi. *A vobis solis dependet*, aiebat S. Justinus in Apologia sua, *Lectione Actorum sub Pilato re-latorum certificari, res ita, & non aliter, obvenisse, ac eas enarro.* Eusebio, qui id ipsum scribit, adnectit tempore suo Relationem Pilati non amplius haberi, eo quod vel a Gentibus fuerit suppressa, ut cum Archi-

viii

viis Romanis in Revolutionibus Imperii fuerit consumpta, aut distracta. Verum inde inferri non potest, illam non extitisse, siquidem S. Justinus & Tertullianus, in suis Apologiis Imperatoribus eorumque Præfectis inscriptis, de his Actis ceu publicis atque notoriis libellis loquuntur.

V. Imperator Tiberius, cum esset in Insula Capri, & tanta de Miraculis Christi, quæ in Syria patreret, audierat, exposuit Senatui Romano, ut ipsum inter Deos referrent, eique honores Divinos decernerent. Restitit equidem Senatus, attamen Imperator firmius in sua perstitit opinione Jesum Christum esse Deum, eo quod ejus Acta & Facta Naturæ transcenderent vires. Tertullianus in suo, quod Senatui obtulit, Apologetico, rem istam ceu publicam & notoriam commemorat, quod sane ausus non esset, si aut falsi, aut incerti quidpiam subesset: Refert quoque Eusebius ceu notorium Factum. ^{a)}

VI. Lampridius, qui Vitas Commodi, Antonini, Heliogaballi & Alexandri Severi conscripsit, testatur & Hadrianum & Alexandrum Severum ejusdem ac Tiberium fuisse mentis, ut Jesus Christus apotheosi condecoraretur; Severum quidem templum Jesu Christo erigendum destinasse; Hadrianum vero, qui plura sine Idolis construxerat templa, quæ Hadrianæa dicebantur, ea Jesu Christo consecrare voluisse; Verum cum desu-

per

per consultarentur Oracula, ea hunc cultum dissuafisse, ne universus orbis fieret Christianus, & cetera Deorum templa linquerentur deserta. Idem Historicus refert, Alexandrum Severum in Palatio suo extruxisse, fanum, in quo Christum adorasset & sacrificia obtulisse. Ejusque doctrinam Evangelicam atanti æstimasse, ut portis Ædium & Palatii publicis textus Evangelii, & præcipue illum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, insculpi jussisset.*

VII. Quis ignorat, Celsum Philosophum Epicuri Sectatorem tam Sublimis ingenii, quanti in Christianos odii, virum in suo, quod contra Christianos, *discursus veri titulo*, a) scripserat, opere, miracula Jesu Christi confessum fuisse, licet ea non potentia Divina, sed magicis artibus tribueret. Jesus Christus, ait, in obscuro & in arte Mechanica enutritus transit in Ægyptum, ut incantationum caperet experimenta, & inde redux arcanorum suorum ministerio, se esse Deum, fidem conciliavit: & alibi ait, Vos b) Creditis, ipsum esse filium Dei, eo quod claudos & cæcos sanavit. Neque credendum, Origenem Celso falsa imposuisse; erant enim Celsi opera in manibus singulorum, dum Philosophi hujus opera refutaret, & ipsius verba in medium produceret. Licet autem Miracula Jesu Christi admitteret, noluit tamen ejusdem Resurrectionem & prophetica oracula cedere, eo quod Discipulorum suorum essent inventa; quod inde factum autumo, eo quod

Mi-

a) Αληθινος λογος. b) Orig, contr, Celsum L, II.

Miracula Christi universa testaretur Judæa & Galilæa, Resurrectionem vero & Prophetias soli testarentur Discipuli.

VIII. Porphyrius alter celebris Philosophus Platonis vestigia premeus, composuit *Tractatum contra Religionem Christianam*, quem refutarunt Methodius Episcopus Tyri, Eusebius, Apollinarius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Cyrillus & Theodoretus. Quanquam igitur Philosophus iste inimicissimus Christiani Nominis esset, confessus est tamen, ut refert S. Augustinus a) Christum piissimum fuisse virum. Audiamus verba ipsius. „Denique tanquam mirabile aliquid atque incredibile prolaturus, præter opinionem, inquit, profecto quibusdam videatur esse, quod dicturi sumus. Christum enim Dii piissimum pronuntiaverunt & immortalem factum, & cum bona prædicatione ejus meminerunt. . . . De Christo autem interrogantibus, si est Deus, ait Hecate: „Quoniam quidem immortalis anima post corpus, ut incedit nostri, a sapientia autem abscissa semper errat, viri pietate præstantissimi est illa anima. . . . Piissimum igitur virum dixit, & ejus animam, sicut & aliorum piorum post obitum immortalitate donatum. . . . Interrogantibus autem, inquit, cur ergo damnatus est? Oraculo respondit Dea, corpus quidem debilitantibus tormentis semper oppositum est, anima autem piorum cælesti sedi infidet, . . . Ipse

„ vero

a) LXIX. de Civi Dei C. XXIII. 2.

„ vero pius, & in cœlum sicut pii, concessit. Ita-
 „ que hunc quidem non blasphemabis. Idem Por-
 „ phyrîi testimonium de Christo Eusebius refert L. III.
 „ de Demonstratione Evangel. C. VI. & alibi a) novas
 „ hujus Philosophi de Christo laudes recenset: „ Miran-
 „ dum non est, Deos Romanis nulla amplius subsidia
 „ ferre, quia Jesum Christum impune a populo ado-
 „ rari permitterent, solus enim Jesus Christus impe-
 „ dit Æsculapium aliosque Deos, ne Imperio suppe-
 „ tias ferrent, & eam restinguerent Luem, quæ de-
 „ vastabat illud: „ Et Apollinem dicere fingit: „ In-
 „ gemiscite tempora, plangite tripodes, Apollo vos
 „ deserit, & a luce cœlesti ac potentia superiori, quam
 „ vincere nescit, constrictus vos deserit. Presbyte-
 „ rissa perdidit vocem, & a multo jam tempore ad fi-
 „ lentium damnata fuit. Infelix Sacerdos amplius ne-
 „ que de Patre Divino, neque de suo filio unigenito,
 „ neque de Spiritu Sancto interrogas me. Hic ipse
 „ enim Spiritus me propulsat abhinc, ut ego plura,
 „ quæ dicam, ignoro. „ Tam clara de Christo ejus-
 „ que potentia Divina Porphyrii testimonia ex ore & cala-
 „ mo Pagani fluentia, quantum possint, quilibet novit;
 „ etenim cum SS. Patres hæc ex operibus Porphyrii ad-
 „ ducerent, et Porphyrium Porphyrio opponerent, jam
 „ hujus Philosophi Scripta publicæ lucis erant.

IX. Ab initio Sæculi II. Epictetus Philosophus
 Stoicus Nicopoli publicas Philosophiæ Lectiones dabat,
 quas

a) De Præpar. Evangel. L. V.

quas Arrianus Discipulus suus conservarat. b) In his
 igitur de fortitudine animi, quæ neque mortem timet
 nec ullo concutitur terrore, verba faciens, queritur.
 Philosophiam (Stoicam) nec adhuc ulli hunc animum
 ingenuisse, ut sine timore doceret atque defenderet.
 Deum esse Creatorum mundi, & eorum omnium, quæ
 continet, usque dum videret, Enthusiasmum & usum
 Galilæis hanc invincibilem, pro hac veritate moriendi,
 constantiam indidisse. Quam erant hi Galilæi, ipsi
 Christiani, qui pro hac veritate sanguinem & vitam
 dedere; dicebantur autem Galilæi, ut post duo Sæcu-
 la Julianus eos convinciari audebat, eoquod Jesus
 Christus, qui ipsorum erat Magister & Auctor, in Ga-
 lilæa diceretur natus fuisse. Pariter Galenus celeberrimus
 omnium temporum Medicus, qui florebat circa
 annum Christi CXXXI. exprimere volens, quam pertinaces
 quidam Medici in suis Sententiis essent, ait: a)
 Citius autem Moysis Affectu & Christi sua desererent dogmata,
 quam qui Sectis addicti sunt, tum Medici, tum Phi-
 losophi.

X. Plinius Junior illius, qui Libros de Natura
 scripsit, Nepos floruit circa annum Christi CVII. erat
 vir probus & justus. Cum Bythinæ Præfecturam ten-
 neret, acceperat Mandatum Trajani, Christianos affli-
 gendi, ejus de causa ad Imperatorem Epistolam dedit,
 quam cœu pretiosum pro Religione Christianâ monu-
 mentum

F f

inter

a) L. IV. C. VII. Philos. Epictet. b) L. III. de Dif-
 ferentia pulsus,

mentum asseravit Scriptorum pietas. Equidem jam supra quædam ex ea decerpimus, attamen, ut eruditus Lector eam ex integro perspicere queat, eam hic cum Responso Imperatoris Trajani subnectendam credidimus. Est autem hujus tenoris: *Muneris mei esse existimo, Domine! in omnibus causis, quæ mihi perplexæ videntur, tuum exposcere consilium; quem enim meliorem in dubiis ducem, quem doctiorem in ignorantia Magistrum te ipso inveniam? Nunquam Christianorum judicium interfui, hinc, quæ in illis requirantur, quæve puniantur, ignorans multum dubitavi, an nulla ætatis habenda ratio? an teneri infantes cum majoribus natu confundendi? an poenitentia veniam mereatur, aut vero, si quis semel fuerit, Christianum exuisse, profit nihil? an solum Christiani nomen sine alio crimine, aut annexo huic nomini crimina puniantur— Interim erga eos, qui hoc nomine ad me delati sunt, hanc agendi rationem tenui, interrogavi, an essent Christiani cum se esse faterentur, altera & tertia vice eandem quæstionem movi cum ultimi supplicii intentione; & duci perseverantes jussi, nec enim mihi videbatur dubium, quid quid id esset, quod faterentur, saltem peritiam, & obstinationem inflexibilem impunitam esse non debere. Alios, ejusdem insanix, notavi, Romam mittendos, quia Cives Romani sunt; attamen crescente, ut fieri solet, accusationum, reorumque numero oblatus est mihi libellus sine auctoris nomine, multorum nomina continens, qui se Christianos esse, aut fuisse negant: hos postquam Imagini tuæ, quam cum Deorum statuis afferri præceperam, coram me, & mecum thus, vinumque obtulissent,*

&

& Christo maledixissent, dimittendos judicavi; ajunt enim, vere Christianos ad horum quidquam faciendum nulla ratione compelli posse. Alii cum denuntiarentur, se Christianos dixerunt, statimque eodem ore negarunt; & se quidem aliquando Christianismum professos, nunc autem ab annis tribus, alii a longiori tempore, iterumque alii a viginti annis abjurasse ajebant. Omnes denique tuam effigiem, Deosque, Christo maledicentes, adoraverunt.

Jam vero, quæ, sibi a nobis objecta, fatebantur, sequentia erant; morem sibi esse certa die ante Solis ortum convenire, & Canticum in honorem Christi, quem Deum esse crederent, alternantibus choris, psallere; & ibi quidem Christianos juramenti vinculo inter se contineri, non ad fovenda vitia, sed emendanda; hæc enim juramento prohiberi, ne rapinam, furtum, adulterium committerent; ne datam fidem frangerent, ne depositum sibi commissum negarent; tumque aliquantum secedere, rursusque ad communem mensam colligi; esse autem convivium vulgare & innoxium; & his ipsis conventiculis abstinere, post editionem, quam te jubente promulgaveram. Plinius hic advertit, Christianorum convivia crimine vacare, nempe propter vulgares criminationes, eos jugulatum infantem commedere. Et pergit: Ideo necessarium duxi, duas mulieres, Christianorum mancipia, quas sceleris ministras fuisse fama ferebat, tormentis subicere, at præter superstitionem inauditam, & pervicacissimam detexi nihil; hinc distuli judicium, & tuam explorare sententiam, quam celerrime volui.

Rem consultatione dignam duxi ob ingentem reorum numerum; nam plurimi omnis ætatis, sexus, & conditionis periclitantur. Non solum urbes, sed & oppida, & agros hæc superstitio infecit; spes tamen superesse videtur, hujus pestis progressus sistendi, & insanientes ad sanitatem reducendi; constat saltem, templa fere deserta, rursum frequentari cœpisse, sacrificia solemnia, diu interrupta repeti, passim conspici victimas, cum prius rari emptores essent; unde ingens eorum copia dignosci potest, qui errorem correcturi sunt, si pœnitentiæ locus detur.

Trajanus ad hanc Plinii epistolam sic respondit: *Charissime adjutor! in causis eorum, qui ad te ut Christiani delati sunt, fecisti muneri tuo satis. Nihil enim ordinate statui potest, nisi quod juxta regulam certam statuitur. In Christianos inquirendum non est, si autem denuntientur, & convincantur, puniendi sunt; ita tamen, ut si quis dicat, se Christianum non esse, & Diis nostris sacrificando, probet, ob pœnitentiam veniam obtineat, quantumcunque de præterito suspectus fuerit. Quod attinet libellos occulto auctore oblatos, in nullo accusationis genere locum habeant, res ea est pessimi exempli & nostro sæculo indigna.*

Colligimus ex Plinii Epistola, quanta primorum Christianorum morum puritas fuerit, & quanta Christianorum multitudo jam tunc temporis fuerit; ejus testimonium eo pretiosius æstimari meretur, quia Paganus, quia Judex, qui eos suppliciis affecit & morte. Ex Responso autem Trajani habemus, quod Christianorum

norum innocentiam æstimaverit, cum eos inquiri, & denuntiationes anonymas recipere vetuerit.

XI. Quoque Julianus Apostata, licet Christianos dire vexaverit, vetueritque Scholarum ingressum, eosque ab omni officio publico excluderet, eorum bona diripuerit, & Fisco adjudicaret, & omnem ad justitiæ tribunal recursum præcluserit, prætendens, Christianos Evangelii præcepta ad literam exequi debere, jussitque, eos non amplius Christianos sed *Galilæos* compellendos esse, non tamen non potuit Christianorum virtutes admirari, easque imitatione dignas commendare: Sic enim ad Arsacium Galatiæ Pontificem scribit: a), Sed quid causæ est, inquit, cur non potius
 „ convertamus oculos ad ea, quibus Christianorum
 „ Religio crevit, id est ad benignitatem in peregrinos,
 „ ad curam ab illis in mortuis sepeliendi positam, &
 „ ad Sanctimoniam, quam simulant? . . . Nam tur-
 „ pe profecto est, cum Nemo ex Judæis mendicet,
 „ & impii Galilæi non suos modo, sed nostros quo-
 „ que alant, ut nostri auxilio, quod a nobis ferri ip-
 „ sis debeat, destitui videantur. „

Quam gloriosum hoc pro Christianis testimonium ex ore & calamo inimicorum in medio persecutionum eorum virtuti & integritati prolatum! Laudata ipsorum charitas & concordia, eorum modestia & vitæ Sanctimonia, quam & ipsi Pagani admirabantur, & commendabant, non poterat superstitionis & fanatici in-

cusari, ut increduli incautos persuadere conantur, sed vera & solida virtutum principia pandit. Idem Julianus Christiani Nominis osor in alia ad *Aristemenem* *Epistola* conqueritur, non reperiri, qui ad *Deorum cultum* reverterentur; & in altera ad *Libanium* data fatetur, sterilem & sine fructu suos ad *Beræos* fuisse discursus, quos eos ad *antentorum suorum idolorum cultum* reducere quaeserat. Et hic ipse Julianus in eo, quem contra *Christianos* scripserat, libro de miraculis *Jesu Christi* verba faciens; Quid igitur *Jesus Christus* in terris ambulans consideratione dignum peregit! cæcis aperuit oculos, claudis restituit gressum, & quosdam a *Dæmonibus Obsessos Bethesda* & *Bethania* liberavit; Hoccine quid prodigii dici meretur? Confessus est igitur *Miracula Jesu Christi*, nec ea ceu falsa rejicere est ausus; licet nulla consideratione digna declaraverit. Sed satis est, Julianum de *Prodigiis Christi* adeo convictum fuisse, ut ea negare nequaquam præsumperit: licet ceu minus considerabilia despexerit.

Possent plura ejusmodi *Paganorum* testimonia adferri, si opus foret, sed hæc interea sufficient viro probò & veritatis consultori, etenim ceteris, qui testimonia respuunt, nulla sufficient. Nunc pro *Coronide* hujus libri, quid ex hisce *Hebræorum* & *Paganorum* minime suspectis testimoniis inferre oporteat, videamus.

XII. Clara & positiva sunt hæc testimonia, &
eo

eo favorabiliora *Christianæ Religionis*, quo magis infensi erant illi, qui ferebant; sequitur autem ex iis,

Primo: *Jesum Christum* vere in *Judæa*, *Galilæa* & *Hierosolymis* vixisse, & minime, ut quidam delirabant, fictam fuisse personam.

Secundo: *Ipsum* eo præciso tempore in terris comparuisse, ubi a *Judæis* expectabatur, & ejusdem adventus vaticiniis prædictus fuerat.

Tertio: Facta ejusdem principalia, eorumque circumstantias, v. g. de ejus *Nativitate*, *passione* & *morte*, ab ipsis quoque *Paganis* fuisse relata, ut in *sacris Evangeliiis* recensita fuere, igitur *Evangelistas* non esse *Impostores*, ut quidam conviciantur, sed candidos atque fideles scriptores.

Quarto: *Omnes Prophetias* de *Jesu Christo* super proximam *Hierosolymorum* ruinam & *Judæorum* interitum, & *Gentium* conversionem, quæ quasi cum priori intime connexa fuit, fuisse adimpletas: Ex quibus *missionem Divinam Jesu Christi* infallibiliter deducere possumus, cum nonnisi solus *Deus* similes eventus cognoscere & cum certitudine prædicere potest.

Quinto: *Paganos* in ipso *Jesu Christo* *Sanctitatem* quandam & *potentiam Divinam* agnovisse, cum plures *Imperatores Ethnici* ipsum in *Deorum suorum Syllabum* referre, ipsique ejusque cultui *templa*, *altaria* & *sacrificia* consecrare voluerint & consecrarint.

Sexto: *Religionem Christianam*, ex ipsa *Paganorum* confessione, cum quadam *Divina potentia* & certitudine in mundum se se propagasse universum;

& primos Christianos vitam duxisse integerrimam, atque purissimam.

Septimo : Non modo Hebræos & Paganos, sed & inter ipsos implacabiles Christiani Nominis ofores, quales erant Celsus, Porhyrius, Julianus Apostata, plene convictos fuisse, quod Jesus Christus vera patrarit miracula, qui ea certe, si potuissent, negassent; verum abnuere non poterant, hisce miraculis Divinam quandam inesse virtutem. Sunt igitur hæc miracula adeo certa & infallibilia Divinitatis Jesu Christi testimonia, & quidem in eo certitudinis gradu, quo major cogitari non potest. Verum equidem est, quod magicis tribuerint artibus, aut per Dæmonis opes patrata contenderint; Verum hæc ipsa eorum assertio eorum realitatem & veritatem apertius probat; Siquidem hisce profitebantur, talia prodigia nec artis, nec naturæ esse effectum, sed nonnisi supernaturalibus potuisse produci viribus. Hæc autem, quæ naturam excedebat, virtus vel a Deo, ut aliqui volebant, vel a Dæmonis (quos vel Deos vel Semideos habebant) in eorum Systemate effici poterant. Verum miracula Jesu Christi a Dæmone fieri non poterant, cum totus in eo erat, ut Dæmonis destrueret imperium & opera; igitur a solo Deo procedere poterant; Missio igitur Jesu Christi prorsus Divina fuit, eam etenim Divinitatis suæ sigillo, quæ erant miracula, firmavit, atque munivit. Igitur Jesus Christus non erat solum a Deo missus, sed & erat ipse Deus, eo quod prodigia & miracula propria operabatur virtute; quod in Divinitatis

ac æqualitatis suæ cum Patre testimonium & probam toties adferebat, inquam: *Qui videt me, videt & Patrem meum. Ego & Pater unum sumus. Ego sum lux mundi. Ego sum via veritas & vita. Antequam Abraham fieret, ego sum. Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est.* His aliisque Divinitatis suæ testimoniis abundant Sacro-Sancta Evangelia.

Octavo : Colligimus denique ex Hebræorum & Paganorum testimoniis Libros nostros N. T. esse Authenticos; ea etenim Facta, quæ referunt isti, testantur & ipsi, & quodsi suppositos credidissent, certo certius ipsis imposturam exprobrassent, quod unquam factum fuisse, nullibi legimus. Quodsi igitur Libri nostri Authentici sunt: quodsi Divina continent Facta, Divinamque Doctrinam, quodsi prodigiis & miraculis firmata sunt omnia; Igitur & vera & Divina est Sacra Religio nostra, quæ solum & unice in his Factis, Dogmatibus, Mysteriis & Doctrinis Divinitatis sigillo firmatis consistit,

C O N C L U S I O .

Religio igitur Christiana omnes possibiles certitudinis, Veritatis & Divinitatis habet characteres. Divina est in Principiis suis, quæ innuntantur ideis Deitatis ordinis, rectitudinis æternæ, & rationis supremæ, quæ aliam, ac ipsum Deum Originem habere nequeunt. Divina est in Dogmatibus & Mysteriis suis, quibus nil sublimius, nil profundius, nil Majestate Divina dignius, & insimul Rerum naturæ & indigentis humanis conformius. Divina est in verbo suo, quod illuminat mentem, purificat cor, deprimit superbiam, voluptatem edomat, passiones vincit, eradicat vitia, implantat virtutes, hominem sanctificat, redditque felicem. Divina est in fundatione atque progressu, non in una solum urbe, Provincia aut Regno, sed per orbem universum, non lente, sed stupenda celeritate, quin ul- lum rapidum ejus cunsum quoddam tardaret obstaculum, se se diffundit. Divina est in effectibus suis, vincit Dæmonem, expoliat infernum, idola confringit, Reges humiliat, Paganismum, illum potentæ & superstitionis colossum diruit, annihilat. Convertit orbem universum in suo cultu, ritibus, legibus, usibus, moribus & inclinationibus. Mundus Idololatra fit mundus novus, mundus christianus, mundus fidelis, verus & perfectus Supremi Numinis adorator. Divina est in eo, quo hæc miracula produxit modo; sola contra omnes, & omnes contra solam, triumphavit tamen sine armis, sine poten-

potentia & munimine, sola virtute, quæ cunctis crederetur infirmitas, cum proscrip- ta in cunis ad tremenda condemnata supplicia, signata in fronte crucis ignomi- niis, adeo ut comparens in suplicio debuisset extingui, vicit tamen, & solum patiendo suos devicit hostes. Divina est in Authore suo Jesu Christo, qui Deus & homo genitus ab æterno in sinu Patris, formatus in tempore ex purissimo Virginis sanguine, natus in stabulo, adoratus a Magis & Regibus; æternus & temporalis, increatus & creatus, impassibilis & pas- sibilis secundum diversas naturas, Divinam & huma- nam. Eminentissima ejus Sanctitas, Doctrina cœlestis, Prophetiæ, quæ ipsum annuntiarunt, & quæ ab ipso dictæ fuerunt, adimpletæ, ejus miracula immensa, mors ipsa, quam voluntarie subiit, prodigia, quæ comitabantur ipsum, Resurrectio & Ascensio, hæc si- mul unita loquuntur & Deum & hominem. Divina est in Apostolis & Fundatoribus suis, eorumque, per quæ fundarunt, mediis; Duodecim pauperes Piscato- res, rudes, ignorantés, sine literis, sine artibus, sine industriis; prædicarunt Christum crucifixum, in Sy- nagogis, in Fanis Gentium, in Academiis Athenarum & Romæ, in Aulis Regum, in Palatiis Principum, sine apparatu & fastu, sine Eloquentia & Philosophia; præ- dicarunt in Sæculo literatissimo Augusti coram Philo- sopheris, Oratoribus, Poetis, Historicis, Politicis & Mi- nistris, Legislatoribus, Magistratibus, Monarchis. Præ- dicarunt sine fumo & fuco, inter vituperia risus & tormenta, ducentes gloriam sibi, non alia scire, nisi

Jesum & hunc crucifixum, Superbus Romanus, molli Asiaticus, truculentus Germanus, barbarus Scythæ crediderunt verbo eorum, crediderunt omnes, in omnibus mundi angulis, sine respectu agnatarum opinionum, prætenſæ climatis differentiæ, Antipathiæ Spirituum & animorum, naturæ dispositionum, & sentiendi diverſitatum; crediderunt omnes: fremente natura, & passionibus obſtrepentibus. Divina est in Sanctis Martyribus omnis ætatis, sexus & conditionis, regionis & Sæculi, qui fidem annuntiatam ſuo firmarunt sanguine & vita. Divina est in ſequacibus ſuis, qui eam ſuis honorant virtutibus, quarum Praxin ipſe Inſpirat Deus, dirigit, & animat, & cujus imaginem augetiſſimam in ſuis bonis operibus faciunt mirabiliter reſplendere. Divina est in cogitationibus ſuis, quas de Deo, de homine, de humanis miſeriis, de eorum origine, atque ſublevamine, & de mediis, quæ ſe homo ab iis liberet, ingenerat.

Divina est in comminationibus pœnarum ſuarum. Deum prædicat juſtum & æternum, peccati Vindicem, quodſi non in hac vita remiſſum fuerit per pœnitentiam, in altera ad æternam condemnabit mortem ejuſque ſupplicia æterna. Divina est in ſuis promiſſis & præmiis; Poſſeſſionem immutabilem Remuneratoris per æternitatem beatam, Recompensationem ineffabilem & glorioſam pro laboribus & ærumnis patienter exantlatiſ promittit electis. Divina est in ſua Antiquitate & Duratione; Catena a primo incepit homine, qui Deum habuit Auctorem, & ſine interruptione ad nos uſque

con-

continuat, & continuabit ad finem Sæculorum. Divina est in Prophetiis & figuris, quæ eam nuntiarunt & adumbrarunt; Prophetiæ claræ, numeroſæ, verificatæ, cunctis in circumſtantiis ſuis. Divina est in omnium miraculorum genere, quæ eam fundarunt, ſtabilierunt, roborarunt & propagarunt. Divina est in Sanctis Libris ſuis, in omni folio & pagina, qui corde ſincero pervolvi & legi non poſſunt, quin non hominis ſed Dei recognoſcantur opera. Nil ſublimum & ſimul ſimplicius, quam Scripturæ utriuſque Teſtamenti; nos inſtruunt, quid agere debeamus ad extemum uſque apicem; nos docent perfecte, quis noſter ſit finis, qui Sancti, qui felices reddamur; cor penetrant, ſolantur animam, regunt diriguntque manus & pedes, omneſque moderantur actiones, ut noſtro uniamur principio, qui Deus est. Hæ Scripturæ quomodo hominis poſſunt eſſe impoſtura, cum leviffimum quoque proſcribant mendacium? Quomodo hominis poſſunt eſſe opus, quem humiliant, & cum omnibus paſſionibus ſuis, cum omnibus deſideriis & appetitibus ſuis, cum omnibus Idolis mentis & cordis ſui, refrænant, proſternunt, condemnant, & in nihilum redigunt. Divina est denique Religio Chriſtiana in ipſis Hebræorum & Paganorum teſtimoniis, qui inſenſiffimi & implacabiles ipſius ſunt inimici; Solus enim Deus, & ſola veritatis efficacia potuit ex ipſorum ore & calamo confeſſionem tantam, & teſtimonia adeo glorioſa pro Religione extorquere, quam inſequebantur, quam deteſtabantur, quamque omnibus, quotquot humana potuit excogitare perſidia, me-

diis

diis excindere, exterminare & e medio tollere adnisi fuere.

Religio igitur Christiana est sola vera, sola Divina Religio, quia sola omnes veritatis & Divinitatis, quam humana ratio aut deprecari aut prætere posse, Characteres exhibet, & demonstrat. Oculis igitur sibi ipsi e fronte eruiere, & abs se projicere necesse est, qui Religionem huic Sanctissimæ amorem, admirationem, obsequium, fidem, honorem & assensum subtrahere aut abnegare præsumit.

O Sanctissima Christiana Religio! Tu vere unius & solius Dei es opus. Evidentissimi Divinitatis tuæ Characteres, quibus undique resplendes, fere omne mihi fidei subtrahunt meritum, & rationis meæ absumunt Sacrificium, adeo visibiles, adeo palpabiles, adeo lucidi sunt radii tui, si umbræ, si nubes, si tenebræ profundum mysteriorum tuorum obtegunt, ea me credere non obligas, nisi prius testimonia adeo credibilia, adeo ad credendum clara & evidentiâ subministraveris, ut ipsa ratio mea prorsus convicta de iis vel solum dubitare erubesceret. Scio bene, incomprehensibilitatem objectorum, quæ mihi credenda proponis, necessarium sublimitatis suæ esse attributum & argumentum, quod mihi eorum demonstrat Esse Divinum. Deo digna non essent, si comprehendere possem. Scio pariter superbam rationem meam hac mortificatione esse dignam, & in meam utilitatem cedere, ut in obscuritate hac ambulem; ut fidei consequar meritum, & superba mentis meæ sanetur ambitio. Blas-

ph-

phemiis igitur inimici tui te insectentur, quærant infulsis & absurdis me involvere dubiis & fabulis, studeant me seducere, & in eorum pessimas rapere vias, omnes impendant assaltus, vires & conatus, ut me e tuo evellant sinu; non movebor, non concutiar. Hoc erit grande solatium meum, me hoc inestimabili donatum esse privilegio, ut Veritatem & Divinitatem tuam cognoscere & agnoscere potuerim. Hæc Sanctissima erit Obligatio mea sempiterna, ut magis magisque Te cognoscam, amen, & inviolabiliter ad ultimum usque respirium tibi unitus persistam, omne desiderium meum, omnis gloria mea, omnisque beatitudo mea hæc erit sola & unica, ut auscultem tibi, tibi obsequar, & Sanctissimis sub Legibus tuis & vivam & moriar.

T a n t u m.

